




DE USU
ET
SYTSEMATICA DEDUCTIONE
JURIS NATURALIS
ET
ECCLESIASTICI PUBLICI
COMMENTARIOLUM.

AUCTORE
JACOBO ZALLINGER
SS. THEOLOGIÆ DOCTORE,
ET SS. CANONUM PROFESSORE PUBLICO, ORDINARIO,



CUM APPROBATIONE R. R. ORDINARIATUS.

AUGUSTÆ VINDELICORUM.
APUD MATTHÆI RIEGER P. M. FILIOS.
MDCCLXXXIV.

* * *

Principia rerum prius requirenda ſunt, ut earum notitia plenior poſſit haberi. Tunc enim facilius poterunt demum intelligi, cum earum origines diſcantur. *S. Ambroſius in Proœmio Comment. Epiſt. ad Romanos.*

* * *



AUCTOR INSTITUTIONUM
JURIS NATURALIS
ET
ECCLESIASTICI PUBLICI

THEOPHILO
DILECTO DISCIPULO
CANONICARUM RERUM STUDIOSISSIMO
SALUTEM, ALACRITATEM, BONOS PROGRESSUS,
DIVINÆ GRATIÆ
UBERTATEM, AC SUAVITATEM.

Habes nunc Theophile, quas a me frequenter expetiisti, Institutiones iuris naturalis, & ecclesiastici publici, quodque incredibili te voluptate afficiet, habes illas BEATISSIMO inscriptas NOMINI, communique Parenti christiani orbis, supremo ac universali Pastori, & sacrosanctæ Ecclesiæ summo Rectori dicatas, dedicatasque; cuius ante biennium tu quidem iterato

 aspi-

aſpiciendi, admirandique, ego vero & alloquendi, & venerandos oſculandi pedes feliciſſima, ut meminiſti, ſorte gaviſi uterque ſumus. Ut vero operis mei in quinque diſtributi libros, quod maiore, quam exiſtimari a te ſolet, labore contentioneque ſtetit, Inſtitutum cognoſcas breviter, perſpicueque; commentariolum, quod vides, exaravi, quo & conſilii mei explicatam rationem, & innumerabilium rerum ordine digeſtarum adumbratam formam reperies, ea nempe accuratione, qua ad conſpiciendum velut uno obtutu Iuris Naturalis & Eccleſiaſtici publici ampliſſimum campum iuvari poſſe videbaris. Et quoniam longæ cohærentesque tractationes, de difficilibus præſertim atque a ſenſu remotis rebus, neque ætati noſtræ, neque tuo, ut quidem ais, ingenio ſatis accommodatæ ſunt; idcirco pluribus articulis membrisque diſtincta oratione utar, eo nempe pacto, ut non minore ſtudio attentioneque ſcriptioni meæ inſiſtas, quam differentem audire me conſueviſti, neque tam mandes memoriæ, quæ legendo acceperis, quam expendas ipſe, & volvas animo, & quodammodo pervadas illa ingenii perſpicacia, quam a natura nactus es ſingularem, & præſtantiſſimis magiſtris uſus, bonarum artium ſtudiis mirifice adhuc excoluiſti.

§. I.

§. I.

Sitne opera danda disciplinæ naturalis iuris.

Nequaquam verendum nobis eſt, Theophile, ut, qui in numero literatorum hominum haberi volunt, quorum innumerabilis nunc turba eſt, ii conſilium a me ſuſceptum inveſtigandi naturæ jus, omnesque illius explicandi partes probent. Iſtiusmodi enim res eſt, quæ omnium ore celebratur ſcriptisque, & a nonnullis quidem hominibus tanto prædicatur opere, ut præ diſciplina naturalis iuris præſtantiſſima venerabilium Patrum volumina, virorumque doctiſſimorum de re morali commentaria aſpernari, quodque effari horror eſt, ipſum propemodum Evangelium faſtidire videantur. Atque utinam hi quidem, qua par eſt, ſolertia, veritatisque ſtudio ſcrutarentur naturam rerum hominisque, neque naturalibus deeſſent explendis officiis; quam cito illis divini Numinis benigniſſima providentia ſacroſanctæ religionis aditum pateſaceret, longeque ſublimiori ipſos colluſtraret luce! Nunc vero haud abſimiles deſidi, quem noſti, ſervo ſe præbent, qui unicum, quod obtinuerat, talentum defodit in terram, nullo quæſito lucro, ac ne ullo quidem negotiandi adhibito labore. *Serve nequam*, inquiet ſeverus iudex, *ex ore tuo te iudico;* ipſius naturæ, quam iactitas, præcepto

adſtringebaris & inquirendi in veram religionem, & inventam arripiendi, & arreptam profitendi. Neque vero aut inveniendi opportunitas, aut arripiendi facultas, aut tempus deerat profitendi. Quæ quidem Theophile, haud leviter a me tractata primo mox libro invenies. Illud nunc quæres, in eamne opinionem concedam, ut diſciplinam naturalis iuris neceſſariam ducam hominibus, dignamque commendatione illa, qua efferri a nonnullis ſolet. Ad quam ego interrogationem in hunc modum reſpondeo, ut diſciplinæ genus hoc, quemadmodum ab inſtitutione vitæ chriſtianæ, aliisque ſcientiis ſegregatum, atque in hanc, quam præfert, formam redactum eſt, ad vitæ quidem honeſtatem, omnemque colendam probitatem nequaquam requiri putem; ad ſcientias vero ſublimiores, ac Iurisprudentiam inprimis rite pertractandas, parum abeſt, quin neceſſariam pronunciem naturalis iuris, atque univerſarum ejus partium accuratam explicationem. Ultra igitur tibi progredi, Theophile, nunc videor, ac ipſe alias affirmabam, qui ad percipiendam Canonum diſciplinam Inſtitutiones naturalis iuris perutiles fore dixeram, neceſſarias non dixeram. At ego cedendum temporibus nunc dico; quamquam ne id quidem magnopere probari tibi ſentiam, utpote novarum rerum minime cupido. Verum ut totum, quod ſentio

ſentio, perpendas, etiam atque etiam te hortor. Fuit, fuit illud tempus, quo ſacræ auctoritati aſſurgerent homines noſtri ea, qua oportebat, reverentia, neque obluctari auderent, quando ſacri canones ad dirimendas, quæ inciderant, controverſas cauſas proferebantur in medium. Ac tum quidem ſatis erat, Iurisprudentiæ canonicæ ſtudioſis, ſi ſacræ antiquitatis regulas rite interpretari, atque ad propoſita negotia accommodare noſſent. Nunc vero ipſam impetunt non modo ſingularium canonum vim, ſed Eccleſiæ canones ſancientis auctoritatem, atque armis impetunt ex diſciplina naturalis iuris maxime petitis; quod quidem adeo non ignoras Theophile, ut ipſe ſæpenumero ingemueris. Sic ergo cedendum temporibus reor, ut aliis atque aliis hoſtium Eccleſiæ inſultibus non idem perpetuo defenſionis genus opponendum ſtatuam. Ius philoſophicum appetunt homines, idque literato orbi ſe donaſſe gloriantur ſcriptores non pauci; de ipſa adeo religione, iuribusque ſacris philoſophari avent: civilis imperii maieſtatem obtendunt: boni communis publicæque rei commoda oſtentant, quibus nefas eſſe aiunt per canones impedimenta poni. Neque vero paucas excogitarunt artes, quibus iuſtitiæ ac veritatis ſpeciem effingentes, ſacroſanctæ Eccleſiæ poteſtatem concidant, & prope in nihilum

 redi-

redigant; *nexus* illos, quos perpetuo memorant, ſacras inter & profanas cauſas, illud *cavendi ius*, nequid ex rebus Eccleſiæ detrimenti capiat respublica, illa, quæ nuncupant, *mixta* negotia, illa *adiaphora*, quæ in religione ineſſe dicunt, illa *accidentalia* Prælatorum Eccleſiæ iura, neceſſitatem illam *mediorum ad finem*, ius illud *circa ſacra*, quæque ſunt generis iſtius, ex naturali, publicoque iure depromi poſſe, ac debere cenſent, atque ita depromi, ut demonſtrationibus confirmari queant, quæ mathematica demonſtrandi accuratione haud inferiores ſint. Hac igitur ex parte cum in veneranda Eccleſiæ & Canonum iura impreſſionem faciant ſcriptores tot, tantoque furore: paratam eſſe oportere defenſionem, non, opinor Theophile inficiaberis.

§. II.

Ius philoſophicum ſacris Eccleſiæ iuribus infeſtum eſſe non poteſt.

Non ſum neſcius, omnem Philoſophiam, omniaque eius inventa & cogitata, ſi modo philoſophiæ nomen ſuſtineant, nihil religioni noſtræ, nihil Eccleſiæ detrimenti afferre poſſe; cum verum vero obeſſe minime queat. At enim philoſophandi genus eſt quoddam fallax, implexum, captioſumque, de quo graviſſima extat Doctoris gentium admonitio: *Videte, ne quis vos deci-*

deciriat per philosophiam, & inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi. (*) Quo quidem nomine profanæ scientiæ ac *Politices* elementa intelligi posse eruditissimus Calmetus docet. Neque vero ego nimium mihi arrogasse videbor, si ad ius philosophicum provocantibus, de hoc toto, quo uti solent, philosophiæ genere respondere ac disceptare aggrediar. Meministi enim Theophile, quantopere in philosophicis tractationibus, non illis solum physico-mathematicis, queis secundum Kepleri ac Neutoni felicia inventa corporum totalium vires mutuæ, viriumque leges analytica inductione eruuntur, demonstranturque, sed in dialecticis quoque ac metaphysicis contemplationibus, & evolvendis notionibus, & inquirendis idearum originibus, animique cogitatis, tanquam nucleo a cortice verborum disiungendo, & vocabulorum dispellendis ludibriis desudaverim; cujus laboris, etsi tum haud satis providerim, amplissimum nunc fructum capio, ut pænitere me neque eorum studiorum, neque scriptorum debeat. Ac ne calumniæ in me impingendæ via pateat, illud etiam atque etiam profiteor, non de singularibus me factis agere, ab utravis potestate provenerint, Ecclesiastica, aut Civili; sed totum id, quod commentatus sum

(*) Coloss. II. 8.



in Inftitutionibus meis, ad generales pertinere facrorum iurium theorias, quas fcriptores quidam hodie proferunt, principiaque illa, quibus confirmare easdem ftudent, examinanda. Facta enim fingularia fexcentis fere implicata adiunctis, atque obvoluta funt, dein arcanis etiam rationibus fæpenumero imbuta, de quibus definiri ac pronunciari cum ab homine privato non debeat, ob eandem, quam memoravi caufam, vix ac ne vix quidem poffit. At fi univerfe de facris iuribus ftatuant fcriptores, easque per generales conftringant regulas, tum fane tentemus hasce regulas, & diiudicemus: fi civilis ftatus, imperiique finem, fi publicam felicitatem nominent, difpiciamus hosce fines, quos hominibus natura propofuit, conftituamus finium ordinem, ordinum gradus defignemus, aptasque iis tenendis gradibus expendamus rationes: fi profanarum facrarumque rerum nexum memorent; cuiusmodi is nexus fit, quorfum pertineat, quid iuris pariat, ponderemus: fi adiaphora appellent, quæ in exercenda religione infunt, figamus fane notionem ejus, quod adiaphorum eft: fi fubftantialia, quæ vocant, Ecclefiæ iura ab accidentalibus disterminari volunt, videamus, anne exeri omnino fubftantialia queant, ut nihil infit, quod non continuo accidentale nuncupent; univerfe autem caveamus dili-



diligenter, ne tritis jam verbis, atque inanibus aut ambiguis vocabulis illudi nobis patiamur.

§. III.

Imo proficuum eſt, ſi recta via atque ordine tractetur.

Sed me illud docuit rerum philoſophicarum tractatio, nihil eſſe ad refellendas falſas hypotheſes efficacius, nihil ad veritatem patefaciendam aptius, illuſtriusque, ac ſimilium phænomenorum inductio, quam vocant, ſimiliumque legum & cauſarum confirmata complexio, quam *analogiam* naturæ nuncupant, ac demonſtrandæ eiusdem nativæ ſimplicitati, veritatique legum & cauſarum maxime conſentaneam eſſe uno ore cenſent omnes, qui non penitus aliena loquuntur, philoſophantes. Atqui in hac quoque Philoſophiæ parte, quæ mores hominum actionesque regit, eadem ſane & inductio ſimilium caſuum, deciſionumque, & confirmata ex iis iurium complexio, & analogia iuſti & æqui, & naturalium principiorum legumque ſimplicitas perinde, ni fallor, ac alia quavis parte locum habet. At nempe huic tanti momenti veritati perſpiciendæ ſatis non eſt, fragmenta duntaxat quædam de iurisprudentia naturali decerpſiſſe, ac particulas aliis atque aliis delibatas

batas locis, nullo cohærentes nexu, nulla principiorum confenfione, nulla deductionum fimilitudine comparata, deguftaffe, nifi univerfa inde a primis naturæ fontibus derivata feries & continuata progreffio iurium & obligationum habeatur præ oculis, animoque attento & a perturbationibus libero expendatur, volvaturque ex omni parte, ac figatur in mente, firmiterque teneatur. Quæ inter homines geruntur quocunque ftatu, feu primigenium quis cogitet, feu adventitium & focialem, ipfum adeo civilem inter binos cives, communi eos quidem imperio fubiectos, libertate tamen civili inter fe gaudentes, quæ denique inter gentes aguntur ceu morales perfonas liberas, alteram ab altera independentes, eadem prope funt negotia, iisdem dirigenda iuribus, nempe ad animum, ad corpus, ad res externas, quæ nobis adhærefcunt quodammodo, pertinentia. Vide Theophile, unde fimilitudo cafuum, factorum, controverfiarum proveniat, quæ non poteft non fimilia iura, fimiles decifiones, iuriumque ac decifionum fimilia principia continere. Atque in his *iurium analogiam* fitam arbitror, ut fimilibus cafibus, factis, controverfiis, quacunque hominum focietate, aut iurisprudentiæ parte occurrentibus fimilia principia, iura, pronunciata refpondere putem. Age nunc, & catholicum de ecclefiaftica & politica poteftate fyftema in memoriam revoca,

ut

utraque summa in suo genere, ut aiunt, neutra dependente ab altera. Quæso te, illas eodem tempore recole argumentandi formas, quas scriptores nostri, qui catholico se systemati addictos profitentur, identidem adhibent, & prope ad nauseam recoquunt, illum nexum, inquam, illud cavendi ius, illa mixta negotia, illam mediorum ad finem necessitatem, illa adiaphora, accidentalia &c. ac si istiusmodi argumentandi formas neque inter privatos homines primæva libertate aut civili fruentes, neque inter societates aut minores in statu Anarchico, aut maximas perfectasque, inter diversas nimirum liberasque gentes ullum habere locum, usumque vides; qualem eædem inter sacram Ecclesiæ, politicamque civitatis potestatem vim habere usumque possint, conside: ac si dein eædem argumentandi formæ ad singulares personas vel morales applicatæ, ad absolutum vel hypotheticum statum, ad minores societates vel maximas adhibitæ, nihil sane nisi Hobbesianum bellum gignerent; quid de usu earundem adversus sacra Ecclesiæ iura cogitabis, quid decides, quid pronunciabis? Atque hoc est, mi Theophile, in in quo pervestigatis naturæ principiis, & originibus naturalis iuris repertis, indeque derivata conclusionum serie, deducto officiorum ordine, factaque casuum, iurium, decisionum comparatio-

ratione, atque inventa iurium analogia merito demum exultaret ac triumpharet oratio mea.

§. IV.

Expenduntur alia commoda ex diſciplina naturalis iuris provenientia.

His quidem nunc indicatis, quæ temporibus tantum accommodata ſunt, aliæ prætermitti non debent ingentes utilitates, quæ ex inſtitutione naturalis iuris a primis naturæ fontibus ducta, perpetuoque doctrinæ ordine continuata in diſcentes proficiſcuntur. Sæpe cum viris doctis de optimo inſtitutionis genere ſermonem habui, ſæpe de copia & varietate tractandarum rerum, de brevitate anguſtiisque non ſolius temporis, ſed humani quoque ingenii collocutus ſum. Atque ego quidem, iis minime diſſentientibus, in eam ſemper abii ſententiam, ut nihil ſcientiarum candidatis optabilius, atque ad faciendos, quam fieri poteſt, progreſſus maximos accommodatius ſtatuerem, quam ſi de propoſita ſibi facultate præ manibus haberent librum, in quo rerum, quas ex ore doctoris excepturi eſſent, brevis illa quidem, at accurata tamen, ſatisque perfecta deſcriptio contineretur, ordine digeſta, iuſta proportione, aptoque nexu partium concinnata, ut inde arrepta diſciplinæ, omniumque eius partium diſtincta cognitione,

ani-

animoque infixa, ſiqua deinceps ad eandem pertinentia diſciplinam occurrerent, ea ad proprias referre ſedes, certisque velut locis aſſervare poſſent; quo fieret, ut novarum cognitione rerum non obrueretur mens, ſed excoleretur, nec obſcurari poſſent antea hauſtæ notitiæ, ſed perfici, locupletari, extendi. Ac Iurisprudentia quidem naturalis non ea eſt facultas, quæ coacervatis aliarum diſciplinarum doctrinis conſtet, & alienis quaſi laciniis ac centonibus compacta ſit; ſed ipſa ſuas radices habet, ſua germina, ſuos flores & fructus: ipſa per ſe quodammodo ſubſiſtit, non inhæret in alia ſcientia: ſuis nititur principiis, ſuas profert concluſiones, nihil ex aliis mutuatur; ſed mutuum aliis dat diſciplinis, ut adeo, ſiqua exiſtit iurium ambiguitas, aut ſiqua gravior in ſcholis controverſia agitatur, ea vix habeat exitum, niſi dirimente naturali iure, aut certe quidem conſilium, ac velut lumen ſubminiſtrante; id quod multis comprobare exemplis difficile haud eſt. Multa quidem, Theophile, de genuina interpretatione legum, ipſisque ad propoſitas quæſtiones rite applicandis acute excogitata ſunt a viris ſapientibus, & animadverſa; ſed præterquam quod ipſæ illæ interpretandi regulæ naturalem maxime æquitatem ſapiant, exhibeantque, tum nec uſum ſatis tutum ſine ductu naturalis iuris habere

bere

bere mihi videntur. Atque hi inſtitutionis, de qua agimus, uti præclari fructus ſunt, minimeque contemnendi; ita ad exquiſitam comparandam doctrinam, qualem depravatio poſcit ætatis noſtræ, plane neceſſarii cenſeri debent. At nempe ſpes non eſt, eos proventuros in audientium animis, niſi vagam coerceant librorum lectionem, niſi inde a principiis ad omnes eiusdem inſtitutionis partes certa via & ordine procedant, niſi nihil leviter tranſiliant, niſi inſiſtant in ſingulis diſciplinæ capitibus, ea animo comprehendere ſtudeant, in iis exerceantur. Quapropter cavendum eſt diligenter, ne ſingularibus quibusdam ambiguarum quæſtionum diſceptationibus ita diſtineantur, ut præcedentium cognitionum, atque earum, quæ conſequi debent, nexus abrumpatur, atque inceptus curſus ea, qua neceſſe eſt, æquabilitate ad finem perduci haud queat. Si pugnandum eſt, extra caſtra efferantur ſigna, ne turbetur ordo caſtrorum. Non enim is ego ſum, qui omnes exercitationes, diſputationesque reprehendam, ſed eas demum, quæ continuatæ inſtitutioni impedimento ſunt, quæque iacturam temporis & cognitionum perutilium pariunt, resque momenti ſummi intactas præterire, aut leviter modo attingere cogunt. Ad hanc inſtituendi rationem reſpexiſſe puto Iuſtinianum, cum diceret: *Iura ita videntur*

tur posse tradi commodissime, si primo levi ac simplici via, post deinde diligentissima atque exactissima interpretatione, singula tradantur: alioquin si statim ab initio rudem adhuc & infirmum animum studiosi, multitudine ac varietate rerum oneraverimus, duorum alterum, aut desertorem studiorum efficiemus, aut cum magno labore, saepe etiam cum diffidentia, quae plerumque iuvenes avertit, serius ad id perducemus, ad quod, leviore via ductus, sine magno labore, & sine ulla diffidentia, maturius perduci potuisset. (*)

§. V.

Haec commoda Iurisprudentiae naturalis soli Philosophiae & rationi humanae in acceptis ferenda non sunt.

Cave, Theophile, ne aliter, ac ipse velim, accipias, quae in laudem disciplinae iuris naturalis dicta a me sunt. Est ea quidem ipsa per se facultas singularis, suis nixa principiis, & quasi foecunda conclusionibus: quae ut per se ipsam consistat, nihil mutuetur ab aliis scientiis; quin aliis largiter det mutuum. At enim non est totum id, profecto non est soli philosophiae, humanaeque rationis vi adscribendum; nisi enim celsiore quadam luce, ductuque regi se

(*) §. 2. Inst. de J. & J.

ſe ſinat hominum ingenium, fere uſuvenit, ut ipſa ratione ſua, cui temere præſidunt, in fœdiſſimos errores abripiantur. Teſtes habemus omnes ætates, omnes nationes, omnes hominum claſſes. Inde factum fuiſſe, mi Theophile exiſtimandum eſt, ut optimi Numinis providentia, quæ perpetuo conſulit humanis rebus, ad rationis vim, quæ nunquam deerat hominibus, alia præterea, atque alia ad vitæ honeſtatem adminicula adiunxerit, nempe ſua ipſius eloquia, monita Patriarcharum & Prophetarum, dictatas a ſe leges, ipſius divinæ ſapientiæ humanam indutæ naturam publicum magiſterium, perpetuumque, quod eadem inſtituit, religionis tribunal, ubi non poſſet non certiſſima de morum honeſtate veritas definiri. Age percurramus hæc ſtrictim, ut, qui rationi nihil non tribuunt in humana regenda vita, quam eadem imbecilla ſit, ſupernoque auxilio egeat, ipſis divinæ providentiæ conſiliis de errore ſuo convincantur; qua quidem brevicula recenſione quædam veluti origo iurisprudentiæ naturalis pateſiet. *Deus hominem rectum fecit*, inquit Eccleſiaſtes (*), recti nimirum, & honeſti & iuſti æſtimatorem, & ſectatorem. Hoc idem pluribus verbis alio divini codicis libro exprimitur, in quo de primis hominum parentibus diſſeritur in hunc modum

(*) Eccl. VII. 30.

dum: *Disciplina intellectus replevit illos: creavit illis scientiam spiritus — & mala & bona ostendit illis — ut Numen sanctificationis collaudent — ut magnalia enarrent operum ejus* (*). Ita nimirum ad illustrandam divinam gloriam conditæ sunt res humanæ; de qua re luculente, ni fallor, tractavi in Institutionibus. De recto hoc statu deiecit hominem gravis noxa, qua non extinctum quidem rationis lumen, sed obscuratum fuit, diminutum, & perturbationibus tanquam nebulis circumfusum. Unde mox succurrendum erat cælestibus monitis, doctrinisque; quodque ipsa per se rationis vis attingere poterat, id singulari revelatione explicabatur: *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius* (**). Patrato homicidio, quod dictata rationis satis vetabant hominibus, posuit Deus in Cain signum, quod in omnium oculos incurreret, & a scelere homines absterreret; neque id ignoravit Lamech: *Septuplum*, ait, *ultio dabitur de Cain* (***). Ac rationem quidem omnibus hominibus natura impertiit; compertum est tamen, quanta morum vitæque difformitas inde a primis temporibus invaluerit; duas in partes scindebatur humanum genus, aliique *filii Dei* vocabantur probi nimirum atque integræ vitæ ex progenie Sethi; alii *filii ho-*

 minum,

(*) Eccli. XVII. 5. (**) Genes. IV. 7.
(***) Gen. IV. 24.

minum, iidem inventores artium, urbium conditores, cultores felicitatis eius publicæ, quam nostræ ætatis Philosophi identidem in ore habent; sed caduca illa felicitate, inanique gloria morum vitæque labem expiare haud poterant. Illud pessime factum, ut hanc bonorum malorumque segregationem divisionemque veluti pertæsi homines facta pace, ac communis, ut videtur, caritatis obtentu, sublato pietatis discrimine sese miscerent, iungerentque; tum vero peior parentibus soboles extitit: *gigantes erant super terram in diebus illis: postquam enim ingressi sunt filii Dei ad filias hominum; isti sunt potentes a seculo viri famosi* (*). Eventus mutuæ illius communionis, caritatisque is fuit, ut iratum Numen totam eam colluviem communi internecione exhauriret, deleretque. Dubium non est, quin homines illi rationis vi cognorint, ipsique damnarint fœditatem vitæ suæ; sed tamen alia quoque emendandæ vitæ subsidia & incitamenta Numen optimum suppeditavit; misit Noemum *præconem justitiæ* (**), & ante Noemum miserat Enochum divina iudicia promulgantem; qui quidem maximum malitiæ coercendæ, servandæque naturalis legis incitamentum, non utique a caducis profanisque sumtum rationibus, sed a timore summi Dei petitum proposuit hominibus, idem nempe, quod ad homines poste-

(*) Gen. VI. 4. (**) II. Petr. II. 5.

posteriorum ætatum omnium pertinet; *prophetavit de his*, inquit S. Judas de improbis agens hominibus ætatis suæ, *septimus ab Adam Enoch, dicens: Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis, facere judicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum* (*). Vides, Theophile, primis illis jam tum temporibus rationis humanæ lumini aliam Deum addidisse lucem eloquii sui, & prodigiorum, & prophetiarum, & adhortationum. Quid? expurgata aquis tellure divina novimus præcepta hominibus promulgata fuisse, virorumque sanctorum documenta & traditiones conservatas, quæ subsidio essent rationi humanæ. Ea præcepta traditionesque colligens Joannes Seldenus ICtus anglus ius Naturæ & gentium secundum Hebræorum disciplinam effinxit. Segregato postmodum a ceteris gentibus hebraico populo nonne, quæ natura cordibus hominum insculpserat, ea in lapideis tabulis exaravit Deus? *Scriptum est in tabulis*, inquit S. Augustinus (**), *quod in corde non legebant; non enim scriptum non habebant, sed legere nolebant. Oppositum est oculis eorum, quod in conscientia legere cogerentur, & quasi forinsecus admota voce Dei ad interiora sua homo compulsus.* Adde libros legis mosaicæ, libros morales ac sapientiales ut vocant, histori-

(*) Epist. Jud. v. 14. 15. (**) In Psalm LVII.

cos dein, ac volumina, ſermonesque Prophetarum, in quibus omnia prope naturæ præcepta explicantur, illuſtrantur, confirmantur. Si una ratio hominum iis perſpiciendis præceptis ſufficit; cur inutilia tot, otioſaque ſcripta dictavit divinus ſpiritus? Sed his quidem ſcripturis maxima mortalium pars carebat. Philoſophos igitur ita rationem acuiſſe credes, ut puram doctrinam, integrumque ac ſanum proferrent naturæ ius? in Ariſtotelis Peripato, in Zenonis porticu, in horto Epicuri, aut Platonis academia rationis vis effloruit? Oſtenderunt, Theophile, & abunde oſtenderunt eruditiſſimi homines, quantopere ſapientes illi deſipuerint, aberrarint, quam turpiter cæcutierint; tu Epiſtolam ad Romanos cogita, in qua de ſenſu ac vita ſapientum rationi ſuæ præfidentium teſtimonium habebis omni exceptione maius. At delapſa in orbem divina ſapientia, ac diffuſa evangelii luce tum demum patuit, & quantis auxiliis egeat hominum ratio, & quantum ab humani ingenii opinationibus illibata veritas diſtet. Unde igitur in tanta cœleſtis doctrinæ luce tot prodierunt errores tenebricoſi? Non ignoras Theophile, eas, quæ de moribus, ac naturali iure tractabant, damnatas theſes; ſed diligunt homines magis tenebras quam lucem. Paucula recenſebo; de polygamia ex calculo alter-

alterutrius sexus definiendum docent, nec indulgendum putant, ut in regione, in qua illa moribus recepta est, religionem quis amplectatur, quae eandem prohibet: divortia passim licita censent, falsiloquii & simulationis non honestatem solum, sed necessitatem propugnant: usuram ab iniustitia absolvunt: concubinatum laudant: fornicationum turpitudinem matrimonii temporarii nomine, velut pallio tegunt: iuramenta promissoria peculiarem parere obligationem negant: ignorat humana ratio, aiunt, externo cultu Deum colendum esse: leges naturales sine Deo definiri a se posse iactitant. Cur, inquis Theophile, ista commemorem? nempe ut infirmitatem humanae rationis sentias. Nec vero, si de privato naturae iure quaeritur, magnopere dissentientes habebo homines orthodoxos; at ego ultra progredior, argumentumque proveho. Ius illud publicum universale, quod tantopere hodie iactitant, iuris naturalis, ut ipsi fatentur, pars est, nempe ratione erutum, ratione auctum, extensumque, ratione in eam redactum formam, iis instructum principiis, iis circa Sacra refertum iuribus, quibus auctum, extensumque, instructum, ac refertum a scriptoribus nonnullis orbi literato obtruditur. Quam infirma, & fallax est humana ratio, praesertim cupiditatibus solicitata, odiis impulsa, assentationis

 tionis

tionis ſtudio corrupta! Si originem huius iuris, qua parte nexum pertractat cum negotiis eccleſiaſticis, inquiras, ea ex Proteſtantium caſtris prodiit. Samuel quidem Pufendorfius libellum edidit *de habitu religionis erga ſtatum civilem*, ob eam cauſam a Iuſto Henningio Boehmero ſæpe laudatus. Quo vero collimarit toto eo opere, nempe ut ſacrum imperium everteret, & Hierarchiæ Eccleſiaſticæ a Chriſto inſtitutæ fundamenta ſubrueret, ubique prodit: ut vel hac de cauſa Boehmero, & aliis Proteſtantium Doctoribus Iurisconſultis æque ac Theologis in deliciis, imo & maximo in pretio fuerit; uti Joannes Franciſcus Buddeus in Iſagoge Hiſtorico-Theologica L. Poſter. c. V. §. 7. in nota pag. 695. fatetur, inquiens: *Quo pacto Iuris Eccleſiaſtici principia emendanda ſint, primus, ni fallor, viam monſtravit Samuel Puſendorfius in libello elegantiſſimo de habitu religionis ad vitam civilem - - in eoque ſolide demonſtravit, Eccleſiam non inſtar reipublicæ ſeu ſtatus independentis, ſed potius inſtar collegii cuiusdam eſſe concipiendam.* Quis ex iſtiusmodi fonte ſanam dimanare circa res eccleſiaſticas doctrinam ſperet? Multi tamen inde hauſerunt, hauriuntque, iique fere expertes theologicarum diſciplinarum. Bonum commune, publicaque felicitas, quæ cum plauſu effertur, venditatur, oſtentatur, non paucos fallit, præſertim cum

ean-

eandem intercipi catholico ſyſtemate & ſibi perſuadere & aliis velint. Nihil de his iuris naturæ, ac publici maxime ſcriptoribus aptius afferri poteſt, ac iila S. Auguſtini de antiquis Philoſophis animadverſio. *Fuere*, inquit, *quidam Philoſophi, de virtutibus & vitiis ſubtilia multa tractantes, dividentes, definientes, ratiocinationes acutiſſimas concludentes, libros implentes, ſuam ſapientiam buccis crepitantibus venditantes: qui etiam dicere auderent hominibus: nos ſequimini, ſectam noſtram tenete, ſi vultis beate vivere* (*). *Sed dominus novit cogitationes ſapientium, quoniam vanæ ſunt* (**).

§. VI.

Veterum & novorum Philoſophorum errores efficere nos cautiores debent in uſu rationis.

Non de antiquis hæc Philoſophis, iisque alienis a cultu ſummi Dei, ſed de noſtris hominibus quibusdam ſcripſiſſe ſanctum doctorem arbitraris, Theophile, noſtrorumque temporum imaginem videre te putas; quippe qui omnem eorum ſentiendi, ſcribendique & iudicandi rationem & narratione acceperis & lectione. Quaquaverſus enim opuſcula ſua, chartulasque diſpergunt, & mulierculis quoque, ac ruſticanæ plebi,

(*) Tract. XLV. in Joan. (**) I. Cor. III. 20.

plebi, & quibusvis de trivio hominibus offerunt, ut aliquos nummulos conficiant. Nosti Theophile, quod hominum notem genus; sed quo nomine iidem compellandi sint in Latio, non nosti. Si illuminatores dicerem, vim patrii sermonis, ejusque vocis, quam perpetuo in ore habent, haud assequerer. Neque enim orbem terrarum sapientia, qua pollent, operaque sua, & communis rei studio iam illuminatum dicunt, sentiuntque ipsi, etsi omnibus viribus id efficere studeant, contendantque; sed illud modo exprimunt, post longam densamque noctem innumerabilium errorum demum *diluculum* quoddam apud nos comparere, idque ipsorum ingenio, doctrinae, indefessae operae, reique publicae incredibili studio in acceptis ferendum esse. Quapropter Theophile, cum novis rebus nova aptanda sint nomina, in posterum eos DILUCULARIOS (*) vocitabimus. Atque hi quidem humani generis benefactores (veniam dabunt latini huic quoque voculae) institutum nostrum pertractandi naturale ius, nequaquam reprehendent, etiam laudibus ferent in caelum: utrum vero sententias nostras omnes probaturi sint, magnopere solliciti esse, angive non debemus; pleni sunt enim lenitatis atque indulgentiae, ut ipsos sectarios in media catholicae veritatis luce coecutientes benignissime habeant, & errores excusent, & prae-

(*) Aufklärer.

præiudicatæ opinionis vim caufentur, diligenterque moneant, nequis afperis verbis, publicisve reprehenfionibus excitare eos, atque ad veritatem adducere audeat. Nunc igitur Dilucularii nomen didicifti Theophile; rem enim & fenfa & doctrinam dudum noveras. Neque enim nefcire te paffus fum illos nexus, illud cavendi ius, illa mixta negotia, illam mediorum ad finem neceffitatem, illa adiaphora & accidentalia, illa, quæ criminantur, genera fuperftitionum, quæque funt generis iftius, a te quidem ita percepta, ut aliquando feftive iocareris Tulliana ufus fententia: *Si mihi, homini vehementer occupato, ftomachum moveritis, triduo me Publiciftam effe profitebor.* Hæc quorfum pertineant, intelligis Theophile; fed quo evafurus fim differendo, nondum videre te arbitror; eo nempe, ut perfpicue comprehendas, rationis humanæ feu diluculum feu lumen, fiquis fupernam refpuat facramque lucem, perquam fallax effe, atque abducere a veritate, falutisque via. Atqui, ais, Naturale ius non facra auctoritate, fed rationis naturalis vi perveftigari, protrahi & explicari debet. Non id peto, Theophile, ut præcepta naturalis iuris ex facro codice, conciliorum actis, voluminibus Patrum eruantur, eorumque duntaxat confirmentur auctoritate; fed id modo volo, philofophiæ placitis, ingenii-


que

que humani cogitatis tantum confidere nos & inniti non oportere, ut, nisi sanctioribus principiis doctrinisque revelatis consentanea deprehendamus, quae ad hominis felicitatem, & honestatem morum pertinent, ea hoc solo ingenio, solaque ratione metiri ac definire nequaquam possimus: id modo volo, ne quis in animum inducat, praecepta illa, iurave naturae, quae sacrae auctoritati dissentanea sunt, tamen ex incorrupto rationis lumine provenire: id volo, nequis veram hominis beatitatem sitam in eo fingat, quod evangelii doctrina, & venerabilium Patrum hominumque sanctissimorum non modo verba, sed exempla quoque reprobant: id denique volo, non oportere quemquam humani ingenii perspicaciam, rationisque vim tanti facere, ut doctrinis sola ratione & ingenio excogitatis conformandam iudicet disciplinam, ac regimen Ecclesiae, nec potius Ecclesiae, quae columna & firmamentum est veritatis, regimini & disciplinae, & perpetuo usui conformandas doctrinas illas; quis enim sanae mentis homo inducat in animum, ut ingenioli sui cogitata, eaque ex lutulentis fontibus primo hausta merito praeferenda putet sensui, doctrinisque sacrosanctae Ecclesiae, quae divino spiritu regitur, atque auctoritati sacrorum conciliorum, & innumerabilium Praesulum sapientia & sanctitate insignium doctri-

doctrinis, & exemplis? Si mathematicas demonſtrationes iactitent dilucularii noſtri, commiſerari licet hominum iſtorum inſcitiam, qui in re morali, cujus usque adeo complicatæ & ancipites notiones ſunt, demonſtrationum mathematicarum nomen uſurpent. Equidem memini, ante annos iam bene multos in auctore anglo me legere, non abeſſe a mathematica perſpicuitate, firmitateque propoſitiones has: Ius mihi competit: ergo tibi obligatio incumbit, ne uſui mei iuris obſiſtas. Atqui hanc ipſam argumenti complexionem obſcurant dilucularii noſtri, infirmantque ſuis illis conſuetis formulis, quas ſupra commemoravi. Quid enim? Si tibi nominanti ius tuum ita reſpondeam: Intereſt mea quoque, quid agas: nexus eſt tuas inter measque actiones: ius cavendi mihi eſt, nequid rebus meis detrimenti inferas, meaque commoda intercipias; conſequenter negotia tua mixta cenſenda ſunt, & meo-tua, tuo-mea nuncupanda. Atque hæc quidem, mi Theophile, ſi de vi atque uſu humanæ rationis probe expenderis, mentique tuæ infixeris: verendum tibi haud eſt, ne, cum doctrinæ, pietatique pari ſtudio des operam, domum tuam ſupra arenam ædificare videaris (*), omnique doctrinæ vento circumferri debeas (**), ſemperque diſcere

(*) Matth. VII. 26. (**) Epheſ. IV, 14.

discere debeas, nunquam ad ſcientiam perveni-
re poſſis (*). Reliquum eſt, ut, cum de uſu
Inſtitutionum mearum, quantum neceſſe vide-
batur, dixerim, omnem earum deductionem
eo, quo confectæ ſunt, ordine ponam ob oculos.



INSTITUTIONUM

IURIS NATURÆ

LIBER I.

IUS NATURÆ PRIVATUM.

C. I.

Inquiſitio Naturalis Iuris a contemplatione naturæ inchoanda eſt.

I. Ne quid obſcuritatis pariat ambiguitas vocum, quando ex natura rerum hominisque manare dicimus naturale ius, *naturæ* nomine univerſitas rerum ſignificatur extra hominem conditarum, ſed quæ hominum neceſſitati, commoditati, honeſtæ voluptati accommodatæ ſunt, quæ apprehendi ab hominibus, teneri, uſibus aptari poſſunt. Accuratior homini de ipſo homine cognitio eſt neceſſaria ad eruendum ius. Eam dat Analyſis, ſingilatim exhibens mentem, corpus, res externas illas, quæ homini quodammodo adhæreſcunt.

II.

(*) II. Tim. III. 7.

II. Homo naturæ vinculis quibusdam adſtringitur aliis hominibus, ſed nemini propius, quam ipſe ſibi. Omnium arctiſſime pendet a Deo, ſummo Conditore, Gubernatore, Fine ultimo rerum. Is nexus hoc indicatus loco ad actiones hominis applicatur §. IX. & X. ad obligationes naturales §. XI. penitus evolvitur §. LXI. & binis ſequentibus: accommodatur ad ſtatum civilem §. CCXXVI. & ſequente. §. CCXXXIV. (a) fin. Non enim in ea hæreſi ſumus, ut eo acutius philoſophari nos de naturali iure credamus, quo longius ab eo mentionem ſummi Numinis removerimus.

III. Ad Analyſin naturæ hominis diverſi ejus ſtatus pertinent, qui ſegregandi ſunt. Statum abſolutum non excludere omnem ſocietatem, itidem indicatur §. CCLXVIII.

IV. In natura hominis, in nexu cum aliis, in ſtatibus inſunt fines; in finibus ineſt 1. ordo, 2. in quovis ordine inſunt gradus, 3. gradibus reſpondet proportio & accommodatio mediorum. Hæc tria ſummi momenti ſunt, & per omnem iuris diſciplinam vagantur latiſſime. Inde explicatum habet apparens colliſio officiorum. §. XXII. (e). De ordine finium conf. §. LXXX. de mediis §. CVII. Is ordo adventitio ſtatu non turbatur §. CCXXIV.


V. Fructus ex præcedente Analyſi proveniens.

C. II.

Contemplatio naturæ ad cognitiones practicas hominem deducit.

VI. Progreſſum rationis humanæ a theoretica ad practicam cognitionem cum parum obſervarent nonnulli,

con-



contigit, ut theoreticas veritates pro lege habuerint naturali, iſtamque citra voluntatem ſummi Dei poſſe cogitari ſtatuerent.

VII. In practicis cognitionibus diſtingui oportet; 1. id, quo regitur actio, 2. id, quo libertas afficitur certo modo; 3. denique id, quo propoſita cognitione voluntas cietur, & agitatur.

VIII. Dictata rationis, quæ inſunt in hominibus, legis nomen participant. Rom. II. 14. Si quæritur, quæ vis inſit hisce dictatis, reipſa de exiſtentia iuris naturæ quæritur, cujus principium theoretica cognitione contineatur, neceſſe eſt.

IX. X. Deductio obligationum, conſiliorum, & iurium ſeu facultatum moralium naturæ fit ex interna relatione ad perfectiones ſummi Dei.

XI. Reſolvitur *obligationis* idea, quæ, cum imaginaria ſit, reducenda eſt ad realem.

XII. Eodem quaſi filo deducuntur *conſilia* naturæ, ne totum id, quod laudabile aut æquum eſt, continuo neceſſitati ſubiiciatur, repugnante infirmitate naturæ hominis. Inde intelligitur illud: *ius civile neque totum a naturali vel gentium recedit, neque per omnia ei ſervit.* L. 6. D. de I. & I. Exemplum extat §. CXLIII. (i)

XIII. Iuris ſeu facultatis moralis a natura conceſſæ multiplex partitio eſt. Expenditur illud: *ius ad finem dat ius ad media.* Ceterum quoniam iura data ſunt nobis a natura ad fines aptos, nempe ad actiones completas, & naturali fine quodammodo imbutas; idcirco quærenti, ſitne ius eundi, loquendi, movendi manum, pedemve &c. reſponderi nequit, niſi addendo finem naturæ conſentaneum e. g. ſanitatis, negotii, moleſtiæ evi-

evitandæ caufa. Ac tum quoque, fi per fe finem habet actio, is ab agentis intentione fegregandus eft, ut tum hac intentione, tum adiunctis fpectatis aliud fit ius, alius rectus ufus iuris.

C. III.

Obligationum ac iurium naturalium genera varia.

XIV. Sunt obligationes & jura affirmativa & negativa.

XV. Connata & acquifita; quæ inter perfonas morales maxime elucent §. CCLXX.

XVI. Abfoluta & hypothetica, orta ex pactis, dominiis, ftatibus adventitiis.

XVII. Perfecta & imperfecta. Conf. §. CCLXIX.

XVIII. Interna, & externa; quæ partitio ad tolerantiæ notionem animo informandam pernecesfaria eft.

XIX. Perfonalia, quæ communicari vel abdicari non posfunt: & abdicabilia.

C. IV.

Obligationes & iura naturæ reducuntur ad unum principium generale.

XX. Cum maxima fit Doctorum in ftatuendo eiusmodi principio disfenfio, ei componendæ quoquo modo nulla aptior videbatur via, quam fi in originem & caufas disfenfionis inquireretur.

XXI. Principium *cognofcendi*, de quo uno quæftio esfe poteft, ipfa ftatuitur natura, nimirum complete fumta; & fic quidem ab hac thefi non magnopere dif-



ſentiunt ii, qui in divinis perfectionibus principium collocant. Ex principio iuris, proprietates eiusdem manant.

XXII. Notio & regulæ de apparente colliſione legum & officiorum, nempe ex ordine & gradibus finium.

XXIII. Hobbeſiana Hypotheſis de naturali iure. Eam velim expendant diligenter ſcrutatores iurium, & cum iis conferant argumentandi formulis, quibus hodierni Interpretes ſacrorum iurium identidem utuntur.

XXIV. Pufendorfiana ſocialitas non contemnendas de ſocialibus officiis animadverſiones continet. Sed hoc quoque loco diſtingui debent ordines & gradus finium.

C. V.

In humanis actionibus non modo iura & obligationes, ſed præterea adiuncta varia, & fines agentium ſpectari debent, ut habeatur actionum moralitas completa.

XXV. Notiones & principia hactenus indicata eo pertinent, ut de actione *in ſe*, ſive ex objecto, ut aiunt, ſpectata, primo disquiri debeat, bona an mala ſit. At conſtat vel ex theoretica Philoſophia & Mechanica, quantopere a theoria abludat praxis. Id in re quoque morali uſuvenit, in qua ad internam actionis bonitatem agentium fines & intentiones, ac præterea adiuncta varia accedunt. Condenſavi hoc loco ea, quæ multis verbis diducuntur a ſcriptoribus moralium rerum. At vocabulorum multitudine nihil recte conficitur in diſciplinis. Illud potius curandum, ut notiones abſtractæ, prin-


principiaque generalia ſingularium caſuum propoſita inductione clareant, & diſcentes aſſueſiant, abſtracta ad concreta reducere, & in concretis intueri abſtracta. Fit enim, ut homines in mundo & phyſico & morali verſentur medii, quin ad phænomena, quæ perpetuo eveniunt, animum advertant.

XXVI. Circumſtantiæ actionis.

XXVII. Finis non tam actionum, quam agentium. Exemplum extat §. CCCI.

XXVIII. Actio indifferens. *Indifferens* vel *adiaphorum* alio longe ſignificatu appellant dilucularii noſtri. Quando enim de negotiis religionis, & pietatis exercitiis agunt, in numerum rerum *indifferentium* coniiciunt, quidquid ad ſempiternam obtinendam ſalutem abſolute neceſſarium haud eſt, etſi idem maxime pium ſit, ſanctumque, a divino ipſo Servatore laudatum, a ſanctiſſimis viris comprobatum, longo uſu comfirmatum, proindeque ſumme idoneum illi explendo Principis Apoſtolorum præcepto: *Fratres magis ſatagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis.* II. Petr. I. 10. Atque hæc adiaphora citra detrimentum imminui, tolli, immutari poſſe cenſent, non eccleſiaſtica tantum, ſed profana etiam poteſtate, quæ negotia religionis cum fine civitatis conciliare obligetur. In idem cadit, atque eodem propoſito excogitata eſt diſtinctio inter eſſentialia atque accidentalia negotia & iura Eccleſiæ. Conf. §. LXVIII. (e) Atque hi quidem, ſi de profanis, & caducis rebus, quæ non duræ neceſſitati duntaxat, ſed commoditati quoque, & honeſtæ iucunditati accommodatæ ſunt, ſimiliter, ac de ſacris ſentirent, ſtatuerentque; profecto iam glandibus veſci, &

 equi-



equitare in arundine longa deberent. Conferant, quæso, sempiternæ salutis divinæque religionis gravissimum momentum cum inanitate caducarum commoditatum, atque de his tantundem detrahi sibi patiantur, quantum de illis decerpi, atque abradi cupiunt; tum vero haud longe aberunt ab exsequendo Apostolico monito: *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus. —— nihil enim intulimus in hunc mundum; haud dubium, quod nec auferre quidquam possumus; nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem.* I. Tim. VI.

C. VI.

Posita moralitate completa actionum, præcipua earum affectio est imputabilitas.

XXIX. Doctrina de imputatione maxime propria est iurisprudentiæ. Quando enim leges generales ad speciem facti applicantur, videndum est sæpenumero, utrumne & quatenus actio imputari possit.

XXX. In quos actus cadat imputatio, in quos non cadat.

XXXI. Ex parte intellectus imputationi obstat ignorantia.

XXXII. Ex parte voluntatis imputatio poscit voluntarium; cuius multiplex & memorabilis partitio est. Notio quidem eius, quod *indirecte* voluntarium dicimus, satis frequentem usum habet. Negant, potestates binas, quæ supremæ sunt in suo genere, & independentes, qualis est sacra & profana potestas, alteram in alteram

vel

vel indirecte quidquam posse. Et tamen secundum diluculario plura potest civilis potestas circa res sacras; quare? propter nexum, inquiunt, quem Sacra cum profanis habent. Quid est hoc, nisi indirecte posse?

XXXIII. Coactio obest imputationi.

XXXIV. Anne metus quoque? qualis, quantusve?

C. VII.

Non modo suae cuique actiones, sed aliorum etiam saepe imputantur.

XXXV. Contingit non raro, ut in eandem actionem consentiant, vel conspirent plures; ac si homines adventitio societatis statu copulati sint, multo etiam citius & frequentius usuvenit, ut alterius actiones alteri adscribi possint, debeantque; generatim ergo & magnitudo & modus istius veluti influxus explicandus est, qui ab aliis in aliorum actiones fit.

XXXVI. Modus est multiplex, ac primo iussio & mandatum.

XXXVII. Dein consilium.


XXXVIII. Consensus.

XXXIX. Palpum.

XL. Receptus.

XLI. Participatio.

XLII. Hi quidem positivi erant modi: alii sunt negativi.



C. VIII.

In moralibus actionibus ſpectatur quantitas moralitatis earundem in ſe, & relate ad imputationem, atque ad agentem.


XLIII. Bonitas & malitia actionum, eique reſpondens laus, aut vituperatio, præmium aut ſupplicium, maiora eſſe vel minora, exaggerari aut elevari poſſunt. Ineſt ergo in moralitate actionum notio magnitudinis, ſeu quantitatis; cuius determinatio quoddam Matheſeos genus eſt; quo examinari, ac definiri poteſt, 1. *pondus* ac momentum actionis in bonam, malamve partem: 2. *menſura*, ob quam commodum actionis, aut incommodum late patet, vel contra: 3. *numerus* actionum generis eiusdem. Caſuum conſcientiæ explicatores, uti obligationum, ita & peccatorum velut matheſin quandam ſibi propriam fecerunt. Hoc autem loco generales indicantur cauſæ, ex quibus moralitatis quantitas augeri, minuive poteſt.

XLIV. Ipſarum actionum aliæ aliis meliores ſunt, aut peiores, ſpecieque differunt.

XLV. In eadem ſpecie inſunt imputationis gradus.

XLVI. Pro adiunctis quoque variis creſcit aut decreſcit moralitatis & imputationis magnitudo.

XLVII. In factis, ſeu actionibus ſingularibus omnia, quæ antea enumerata ſunt, una concurrunt.



C. IX.

Moralitas actionum & imputatio etiam maxime refertur ad conſcientiam cuiusque.

XLVIII. Imputatio actionum non in foro tantum externo, ſed interno quoque fit, cuius plurimam rationem habent ſacri Canones. Famoſa probabiliſmi controverſia longo iam tempore non argumentis ſolum, ſed conviciis etiam & calumniis iactata, propriam ſedem, quod mirabuntur nonnulli, in diſciplina iuris naturalis habet; haud ægre tamen a prudente quovis Iuriſconſulto Theologis ceditur; quamquam præſcriptionum iura diverſas inter diſciplinas haud magis fortaſſis, ac inter diverſas gentes obtinent.

XLIX. Poſcit tamen inſtituti ratio, ut primo notiones conſcientiæ, variorumque dictaminum, quæ nominantur hoc loco, quantum neceſſe eſt, explicentur.

L. Dein affectiones conſcientiæ antecedentis, ut vocant, quarum mentio etiam in ſacris fit Canonibus.

LI. Denique naturales & inconcuſſæ de illa conſcientia obligationes.

LII. Ex quibus controverſiæ indicatæ ſtatus enaſcitur.

LIII. Non prætermittendum aliud eſt conſcientiæ genus, quod *conſequens* nuncupatur.



C. X.

Alia eſt humanarum actionum affectio, qua validi dicuntur, aut nulli.

LIV. De valore geſtorum actuum dubitationes graviſſimæ & frequentes lites, quæ in Iurisprudentia civili & canonica proveniunt multis locis, ad ius denique naturale devolvi debent, aliter exitum non habituræ. Unde generales notiones, principiaque neceſſe eſt ſtabilire, quæ, fateor, non nullo egent acumine, ut ſatis perſpiciantur, apteque applicari queant. Generatim, ſi, valeatne actus, an nullus ſit, quæritur; eius ſubſtantia, ſeu forma ſpectanda eſt, undecunque definita, ac vis nominis expendenda, quod modum complexum exprimit, ut Dialectici nuncupant.


LV. Dein ratio habenda iuris ſeu facultatis moralis, qua pollet, qui actum geſſit.

LVI. Præterea conſenſus & voluntas agentis.

LVII. Denique id, quod *materiam* actionis dicimus, vel quod ab agentibus in pactum deductum eſt.

LVIII. Ex hisce principiis dirimitur controverſia de valore actuum, qui vi, metusve cauſa geſti ſunt.

LIX. Paſſim hodie generalis agitatur quæſtio de actionibus, quæ prohibitæ ſunt, utrumne continuo pro nullis haberi debeant.



C. XI.

In numero naturalium officiorum ea primum ſibi vindicant locum, quæ ſummum Deum, ac religionem proxime attingunt.

LX. Uti iucundum eſt viro probo, illum inveſtigare arctiſſimum nexum, quo natura omnes nos ac ſingulos cum divina atque æterna & perfectiſſima mente adſtrinxit; ita idem facere diligentiſſime perneceſſarium eſt. Sunt enim, quæ noſtrorum eſt labes temporum, qui naturalia iura citra mentionem de ſummo Deo definiri a ſe poſſe non erubuerunt gloriari, perinde, imo etiam multo falſius, ac ſiquis familiæ, aut civitatis iura citra mentionem de familiæ aut civitatis capite explicare vellet. Sed hoc quidem modo penitus manca fit diſciplina naturalis iuris, & infirma, quin perniciofa; *manca* quidem, utpote deſtituta ſummi momenti de colendo Deo naturalibus officiis; dein *infirma;* quia validiſſimis internæ obligationis disruptis vinculis, velut inciſis nervis flacceſcat neceſſe eſt; denique & *pernicioſa*, quæ id demum efficiat, ut præcipuis actionum momentis a caduca petitis felicitate, non poſſint non depravari diſcentium animi. Quapropter, quæ iam §. II. indicata ſunt vincula, quibus ab ipſa natura adſtringimur ſupremo Numini, latius hoc explicanda loco ſunt; ea triplicis eſſe generis diximus;

LXI. Nempe ex Creatoris idea provenientia.

LXII. Ex ratione Gubernatoris:

LXIII. Denique Finis ultimi rerum, maximeque hominis.

 LXIV.

LXIV. Ex his officia theoretica erga ſummum Deum primo omnium profluunt.

LXV. Dein practica; non modo interna,

LXVI. Sed externa quoque. Ac cultus quidem externus ſupremi Numinis, quibus maxime actibus contineatur;

LXVII. Dein, quibus nitatur rationibus ex natura petitis, difficile demonſtratu haud eſt.

LXVIII. Ex dictis notio religionis effloreſcit, atque evolvitur.

LXIX. Deceptrices quoque de naturali religione ideæ expurgantur; tranſiturque ad revelatam;

LXX. Cuius & inveſtigandæ,

LXXI. Et ſeligendæ.

LXXII. Et profitendæ graviſſima naturæ obligatio patefit.

LXXIII. Appoſitus hic eſt ſecundum rationis dictata definiendæ Autonomiæ locus;

LXXIV. Eiusque ex iisdem principiis reprobandæ.

LXXV. Officiis religionis oppoſita reſpondent delicta.

LXXVI. Quomodo officia erga ſummum Deum, ad res, & loca, & perſonas eidem dicatas & conſecratas ſeſe exporrigant, indicandum hic potius, quam explicandum videbatur.

C. XII.

Officia hominis erga hominem numero, pondere & mensura respondent analysi naturæ complete sumtæ.

LXXVII. Officiis erga summum Deum obeundis assuefactus, haud ita facile in iis delinquet, quæ sibimet a quovis, aut hominibus aliis sunt exhibenda. Nam illas etiam actiones, quæ nosmet, aliosve homines attingunt proxime, ad divinas referri perfectiones, ostensum est. In his igitur prima ratio suppetit, cur, quod sibi quisque, aut aliis debet, solerter præstet officium. Unde consequitur, ut officia religionis erga infinitum Numen non solum dignitate, sed etiam momento, atque ordine deductionis prima, præcipuaque censeri debeant. Errant sane, & enorme quantum a vero aberrant, qui neglecto divino cultu, & insuperhabitis exercitiis pietatis, caritatem, iustitiam, fidem, temperantiam hominibus ingenerari posse opinantur. Cum vero latissime pateant hominis in hominem officia, variique generis sint, recursum est ad analysin naturæ hominis, ex qua discere possumus, ad suas quamque doctrinam referre sedes, debitoque ordine collocare.

LXXVIII. Vulgo quidem segregari solet eorum tractatio officiorum, quæ ipsi nobis, & quæ aliis præstare iubemur; sed ad perspiciendas rationes fundamentales, quas vocant, officiorum, perquam conducibile visum est, ut in unum locum restituerentur, quæ male distracta sunt. Nam & natura communis est omnium nostrum; proindeque eadem officiorum istiusmodi origo est. Dein siquid aversamur, quod in nos ab aliis com-



committitur, ne quid tale aliis faciamus, noſtri ipſorum amor nos docet, uti & ſiquid noſtri gratia ab aliis fieri avemus, ut idemmet viciſſim præſtemus aliis, natura nos commonefacit.

LXXIX. Amor cuiusque in ſe, aliosque & principium eſt officiorum, & in numero eorundem; ſed nempe disiungere oportet pravum, & rectum amorem.

LXXX. Ordo quoque iſtiusmodi officiorum præſcriptus eſt a natura.

LXXXI. Unde primum eſt hominis in hominem officium de ſempiterna, ut ita dicam, captanda beatitate, & purganda, perficiendaque mente.

LXXXII. Proximum eſt de vitæ conſervatione, & incolumitate.

LXXXIII. Ob quam cauſam naturali legi repugnant Autochiria, homicidium, abortus &c.

LXXXIV. Quoniam dein natura præceptis ſuis exiſtimationi cuiusque, & famæ conſulit, notiones eo pertinentes in primis explicandæ ſunt.

LXXXV. Ex quibus conſectaria profluunt non contemnenda.

LXXXVI. Expenditur ius tuendi famam & ſuam & alienam.

LXXXVII. Dein obligatio eius conſervationis, quatenus pertineat.

LXXXVIII. Vix quidquam ſeveris & immutabilibus naturæ aut potius ſummi Conditoris legibus indiget, ac linguæ uſus, & facultas ſermocinandi; cum, ut S. Iacobus inquit, *linguam nullus hominum domare poteſt, inquietum malum, plenum veneno mortifero.* Iac.

III.

III. 8. Dubium non eft, easdem leges ex gravioribus multo caufis ad licentiam fcriptitandi pertinere. Sed dilucularii noftri refpondere mihi videntur: *Labia noftra* (calami noftri) *a nobis funt; quis nofter dominus eft?* Pfalm. XI. 5.

LXXXIX. Naturalis eft quædam arcani tenendi obligatio.

XC. Nulla eft, quam auctores quidam excogitarunt, inter falfiloquium & mendacium differentia, fpectando malum ufum fermonis.

XCI. Neque ob id curiofe cuivis interroganti continuo mens plane aperienda eft. Ufus æquivocationum, ut vocant, fenfibilium, & ftratagematum iisdem nititur principiis & cautionibus.

C. XIII.

Specialia officia hominis erga hominem determinat triftis favor Neceffitatis.

XCII. Diverfis partibus, quibus natura hominis componitur, diverfis item, quibus gaudere poteft, generibus bonorum, totidem refpondent genera miferiarum, aut certe difcriminum, quibus identidem homo fubiacet; ac tum *neceffitas* agendi quidquam aut omittendi incidit, quod alio tempore non ageretur, nec omitteretur. Huic neceffitati favores quidam a natura conceffi funt; fimul tamen per naturales cautum eft leges, ut fervato finium ordine, & prætermiffis, aut etiam abiectis vilioribus bonis, ea, quæ præftantiora funt, confectetur homo; dein nequa temere fingatur neceffitas; quod non infrequens eft. Avaro homini perpetua colli-



colligendi pecunias ante oculos obverſatur neceſſitas; eo-quod in propoſito fine de comparandis vitæ ſubſidiis aureum mediocritatis gradum non videat, certe non teneat. Denique naturæ præceptum eſt, ne iniquis viis neceſſitati mederi quisquam curet. Hoc ergo loco generales illæ animadverſiones, quas principio fecimus, de ordine, ac gradibus finium, aptaque mediorum accommodatione præſentiſſimum uſum habent, ac quo crebriores ſunt neceſſitatis obtentus, eo magis res enucleanda eſt.

XCIII. In primis qualitas neceſſitatis, eiusque varii gradus indicantur; eſt enim alia communis ſeu vulgaris, alia gravis, alia extrema.

XCIV. Natura favet neceſſitati, dum aliis ſimiliter non laborantibus obligationem opitulandi imponit; unde quæſtio facti de præſenti neceſſitate eiusque gradu, dein quæſtio iuris de obligatione ſuccurrendi exoritur.

CXV. Quo loco tria ſpectanda ſunt: facultas ſuccurrendi, modus, & neceſſitatis gradus.

XCVI. Ex quibus certæ regulæ defluunt.

XCVII. Et quoniam ius neceſſitatis eſt ſtrictæ interpretationis;

XCVIII. per illam, etſi extrema ſit, communio bonorum reduci non videtur.

XCIX. Aliud eſt neceſſitatis genus, quo conſervatio vitæ noſtræ cum vitæ alterius conſervatione colliditur, idque vel triſti caſu, & citra hominum culpam;

C. Aut ex iniuſta alterius aggreſſione.

CI. Quapropter de iuſtitia cruentæ defenſionis diſceptandum eſt.

CII.

CII. Pro rerum autem & temporum varietate iſtiusmodi vitæ ſuæ defenſio aliquando præcepta, univerſe conceſſa eſt; fieri poteſt, ut vetita cenſeri debeat.

CIII. Eadem eſt diſputatio de defendenda membrorum integritate, libertate, pudicitia.

CIV. Demum de iure fortunas ſuas defendendi non expedita quæſtio eſt.

CV. Haud paulo aliter de famæ defenſione eſt differendum; quo loco manifeſtis iterum exemplis palam fit, quam peſſime abuti ſoleant homines illo verſabili dicto: Ius ad finem dat ius ad media.

CVI. Proprius hic eſt de duelli moralitate diſputandi locus. Exponitur eius notio, & genus multiplex.

CVII. Cum univerſe præter ordines, gradusque finium, mediorum quoque ſit conſideranda ratio, iure quæritur, aptane honoris tuendi aut reparandi via cenſeri duellum poſſit.


CVIII. Cum autem nequaquam poſſit; concluditur naturali iuri id repugnare.

C. XIV.

Uti pleraque hominum negotia, ſic & plurima officia verſantur circa res externas ad vitæ humanæ neceſſitatem, commoditatem, honeſtam iucunditatem neceſſarias.

CIX. Indaganti origines eorum iurium, quæ in externis rebus ad vitæ humanæ uſum conditis a natura attributa nobis ſunt, redeundum eſt ad primævum earum ſtatum, qui alius non erat, niſi communio rerum negativa.

CX. Inde

CX. Inde recte philoſophatur quisque de receſſu hominum ab ea communione; iuſtusne fuerit, & approbatus naturali iure, aut plane præſcriptus. Indicanda vero & tollenda eſt hoc loco ea ambiguitas ſermonis, aut falſa opinio, qua naturali obligationi adſcribitur, ſi quod unicum eſt non natura, ſed temporum ratione remedium, quo naturali obligationi ſatisfiat. Similis ſe offeret controverſia §. CXCIV. de origine civilis ſtatus.

CXI. His præmiſſis disquiſitionibus notio Dominii exponitur.

CXII. Eiusque confectaria enumerantur.

CXIII. Dominium acquirendi modus duplex, primigenius aut derivativus.

CXIV. Primigenius eſt occupatio.

CXV. Et acceſſio.

CXVI. Cum hisce modis ſublata ſit communio rerum; nullæne eius reliquiæ ſuperſtites ſint, interrogatur.

CXVII. Aut iura ex primæva communione reſidua.

CXVIII. Inde ordo ducit ad indicandos modos acquirendi derivativos.

CXIX. In horum numero utrum teſtamenta ſint recenſenda, quæritur.

CXX. Quæ vim habent, non tamen a natura.

CXXI. Difficilior eſt deciſio de ſucceſſione ab inteſtato inter parentes & liberos;

CXXII. Inter quos ipſa videtur natura bonorum communionem conſtituiſſe.

CXXIII. Præter verum dominium, de quo hactenus actum, aliud eius genus, quod interimiſticum vocant, eſt admittendum. Eius fundamentum ſitum eſt

in

in rerum humanarum inſtabilitate, & iuſta hominum ignorantia.

CXXIV. Ex principiis naturæ dirimi poteſt celebris controverſia de fructibus virtualiter extantibus a poſſeſſore bonæ fidei reſtituendis.

CXXV. Longe aliter de poſſeſſore malæ fidei ius naturæ decidit.

CXXVI. Denique Uſucapio, utrumne naturalis an poſitivi iuris creatura ſit, quæritur, hoc eſt, utrum natura, an legibus arbitrariis ad modos acquirendi referri debeat.

CXXVII. Explicatis dominii & poſſeſſionis iuribus delicta iisdem maxime oppoſita innoteſcunt.

C. XV.

Iura & obligationes ex pactis & contractibus provenientes.

CXXVIII. Pacta & contractus ad modos acquirendi derivativos pertinere, non videtur in dubium poſſe revocari; etſi contingat aliquando, ut ex iis iura proveniant, quæ antea non extiterant, ut fit conſtituto primum jure pignoris, aut impoſita fundo ſervitute. Placet Grotii ſententia, aſſerentis, ius illud, quod in alterum transfertur ope pacti, virtute quadam penes transferentem antea extitiſſe. At Pufendorfius totum iſtud dubium explodit de I. N. & G. L. VII. C. III. n. 4. ubi ita diſſerit: „Valde puerile eſt credere, in rebus moralibus, quando ius quodpiam, aut quævis qualitas moralis in alterum collata dicitur, neceſſum eſſe, ut eadem prius alicubi ſeparata exiſtat; quin potius iura & alias qualita-



tes morales mutua voluntatum conſpiratione per pacta reſultare, in aprico eſt." Similis diſputandi ſubtilitas in controverſia hæret, qua origo maieſtatis civilis indagatur. conf. §. CCIV. In propoſito igitur argumento notio pacti primum exhibetur.

CXXIX. Subſtantialia pacti ex iure paciſcendi, conſenſu paciſcentium, & materia pacti pendent; quæ expendenda ſunt ob eam cauſam, quod in quavis contractuum claſſe ac ſpecie inſit ratio generica pacti, eiusque ſubſtantialium.

CXXX. Formam pacti efficit conditio,

CXXXI. Dies pacto adiectus:

CXXXII. Modus, arrha, cauſa, demonſtratio, disiunctio.

CXXXIII. Effectus pacti eſt obligatio, ac ius productum; ubi generatim de ſervanda pactionis fide agitur.

CXXXIV. Ab hisce generalibus ad claſſes contractuum deſcenditur.

CXXXV. Et ſpecies ac quaſi familiæ contractuum continua differentiarum ſerie enumerantur.

CXXXVI. In ſpecificis contractuum determinationibus inſunt ſubſtantialia, naturalia, accidentalia.

CXXXVII. Hisce expoſitis demum oſtenditur, quomodo leges pactorum & contractuum ad datum negotium applicentur ope duplicis ratiocinii.

C. XVI.



C. XVI.

Ex neglectu officiorum, de quibus hactenus tractatum est, frequens oritur obligatio restituendi, quod debetur; eaque peculiarem expositionem poscit.

CXXXVIII. Quæ de *restitutione* creberrimo usui est doctrina, iure naturali tota nititur. Primæ ejus notiones adumbratæ sunt, cum de iure indemnitatis §. XV. (g), deque iuribus perfectis, eorumque læsione §. XVII. (d. e. f.) ageretur. Accuratior rerum ad eam pertinentium expositio, deductioque uno videbatur cumulo congerenda; quoniam tractatio ipsa & ampla est, & principiorum nexum, ac iurium analogiam exhibere debet. Primo igitur, quid inter restitutionem & satisfactionem intersit, quæ confunduntur sæpenumero, indicandum est.

CXXXIX. Dein obligatio restitutionis quas habeat origines, aut rationes sufficientes, quæ *radicum* nomine veniunt, inquirendum. Vulgo radix restitutionis statuitur duplex: primo res accepta.

CXL. Dein injusta acceptio. At nempe injusta esse potest tum in se spectata actio, etsi animo non malo edita sit; dein quod pravus etiam nocendi animus præsto fuerit. Unde

CXLI. Novæ de dolo, culpa, casu fortuito quæstiones prodeunt.

CXLII. Constituitur primo ea, quæ minime ambigua est, obligatio restituendi ex iniusta acceptione proveniens.

CXLIII. Inde ad ambiguas obscurasqne controversias fit progressio, & excutitur vulgata apud Scripto-



res thefis: *Nemo (feclufo contractu) tenetur ad reftitutionem damni a fe illati, nifi in eo inferendo culpam admiferit Theologicam contra iuftitiam.*

CXLIV. Eorum, quæ difputata funt, applicatio fit ad cafum, quo quadrupes pauperiem feciffe dicatur; ad actiones præterea noxales.

CXLV. Sunt vero nonnullæ aliæ quæftiones de damno dato, quas diftingui & fegregari neceffe eft.

CXLVI. Præter rem acceptam, & iniuftam acceptionem tertia eft radix reftitutionis contractus, cuius aliquando primaria, aliquando acceforia eft obligatio reftituendi.

CXLVII. Ex conflictu confervandi eodem tempore res noftras & alienas nova provenit difputatio.

CXLVIII. Quæ in contractibus in effe debeat æqualitas.

CXLIX. Quarta radix reftitutionis in quafi contractibus hærere dicitur.

CL. Quia datum damnum, uti actio, qua infertur, pluribus fæpe imputari poteft, nova emergit lis, fi a pluribus datum fit damnum, quis præ ceteris adftringatur ad illud reparandum.

CLI. Ex confilio nocendi dato, quæ proveniat obligatio reftituendi.

CLII. Ex confenfu plurium:

CLIII. Ex palpo, & dato recurfu.

CLIV. Ex participatione.

CLV. Ex negativis imputationum modis.

CLVI. Non femper expeditum eft decidere, *quid, quantumve* reftitui oporteat.

CLVII. Quo tempore;

CLVXIII.

CLVIII. Quo loco? cuius cura & ſumtibus?

CLIX. Cui facienda ſit reſtitutio?

CLX. Regulæ ordinis, quas natura præſcribit pro concurſu creditorum.


CLXI. Cum obligatio reſtituendi ſit in numero poſitivarum obligationum, quæ facultatem, tempus, opportunitatem poſcunt, diſcutiendum reſtat, quæ ſit iuſta cauſa differendi reſtitutionem aut omittendi, idque ex capite triplici:

CLXII. *Primo,* quando id, quod ereptum eſt, natura ſua reparari non poteſt:

CLXIII. Aut res illa, quæ debebat reſtitui, interiit.

CLVXIV. *Secundo,* ſi debitor omnino eget, nec par eſt ſolvendo aut reſtituendo.

CLXV. *Tertio,* ſi creditor recuperata re ſua male uſurus eſt: ſi inveniri non poteſt, quæque ſunt iſtiusmodi.



INSTITUTIONUM IURIS NATURÆ

LIBER II.

IUS NATURÆ SOCIALE.

C. I.

Notiones Societatis & iuris ſocialis.

Si recta inſtitutionis ratio, legesque methodi a ſimplicibus principiis ad compoſita, atque a generibus rerum ad varias earum formas, ſpeciesque iubent pro-



gredi, necesse est, ut iis expositis iuribus, quæ absoluto naturæ statui adhærent, aut certe hypotheticæ naturam societatis haudquaquam desiderant, deinceps ad hasce ipsas societates, earumque generales notiones descendatur; ac tum quoque a simplicibus inchoandum est status socialis notionibus, & principiis eius generalibus. Est ergo naturalis Iurisprudentiæ pars quædam de iure sociali inscripta, cui, quæ minorum societatum propria sunt, adiunximus ad majores paulatim societates, ipsamque maximam, nimirum civilem progressuri. Illius partis hæc est angusta, rudisque adumbratio.

CLXVI. Consociationum particularium ratio exponitur, propositi fines, virium unio: personæ moralis inde existentis idea, societatis interna constitutio & politia, negotiorum socialium indoles.

CLXVII. Societatum differentiæ, progressiones, compositiones.

CLXVIII. Aliæ æquales sunt, aliæ inæquales.

CLXIX. In collegiis seu æqualibus societatibus ratio suffragiorum in primis spectanda est.

CLXX. Comparatio æqualis & inæqualis societatis utriusque notionem & naturam perspicuam facit.

CLXXI. Societatis inæqualis potestas & imperium maxime proprium est.

C. II.

Societas coniugalis.

CLXXII. Prima, quam natura spectabat, societas est coniugalis, aliarumque velut origo, ac seminarium. Exponitur ergo finis, ac notio matrimonii.

CLXXIV.

CLXXIII. Eius neceſſitas aucto humano genere Univerſos afficit, non ſingulos.

CLXXIV. Sitne vi naturæ ea ſocietas indiſſolubilis, quæritur:

CLXXV. Item æqualis per ſe, an inæqualis?

CLXXVI. Polygamiæ notio, ac moralitas.

CLXXVII. Etſi vero a natura hæc ſit inſtituta ſocietas, tamen pactitia eſt, & in numero contractuum veri nominis.

CLXXVIII. Unde, quæ pactis ſubſtantialia ſunt, ea contineat, neceſſe eſt; hinc oritur idea impedimentorum natura dirimentium.

CLXXIX. In his impedimentis quatenus conſanguinitas & affinitas cenſeri debeat, indagatur.

CLXXX. Fini ac naturæ ſocietatis coniugalis coniugum iura & obligationes reſpondent.

CLXXXI. Aptus hic maxime videbatur locus, delicta carnis naturali legi repugnantia enumerandi.

CLXXXII. Quid ſponſalium proprium ſit vi naturæ, cum ſint quodammodo via ad matrimonium, traditur.

C. III.

Societas Parentalis.

CLXXXIII. Indolem huius ſocietatis patefaciunt nativa imbecillitas humani fœtus, pactum coniugum, ſtimuli naturæ.

CLXXXIV. Origo ac fundamentum poteſtatis parentalis inveſtigatur.

CLXXXV. Eiusque poteſtatis velut menſura & obiectum.

CLXXXVI. Uti omnis poteſtas, ſic parentalis quoque inſpectoria eſt, rectoria, executoria.

CLXXXVII. Hisce reſpondent mutua liberorum in parentes officia.

C. IV.

Societas herilis.

CLXXXVIII. Ex origine ſervitutis, quæ non una eſt,

CLXXXIX. Eiusque modo, ac veluti quantitate

CXV. Notio huius ſocietatis, quantum ſatis eſſe videbatur, deſcribitur.


C. V.

Societas compoſita familiæ.

CXCI. Ex ſocietatibus ſimplicibus, coniugali, parentali ac herili una coniunctis, ſocietas oritur compoſita familiæ. Si earundem ſimplicium binæ quævis combinentur, tres aliæ minores proveniunt.

CXCII. Ea Combinatio fines ſimplicium ſocietatum non tollit; cum tamen domeſtica ſocietas inſtar unius & a ſimplicibus diſtinctæ ſocietatis cogitanda ſit, ea peculiari etiam fine gaudet, qui in uſu vitæ quotidianæ finibus ſimplicium ſocietatum accommodato conſiſtit. Unde iura & obligationes familiarium dimanant.

INSTI-



INSTITUTIONUM IURIS NATURÆ
LIBER III.
IUS NATURÆ PUBLICUM.

Hanc Iurisprudentiæ naturalis partem eo curatius ſcrutatur ſacrorum iurium Canditatus, quo frequentius ad eam, fidentiusque provocari intelligit a ſcriptoribus quibusdam novis: quaſi theſauros complecteretur toti retro antiquitati abſconditos, quos nec Evangelii ſacroſancti libri, nec traditionum depoſitum, nec Patrum volumina, nec Conciliorum acta, nec Pontificum Bullaria ſubminiſtrent; quantumvis iidem ad genuinam ſacrorum iurium interpretationem, deciſionemque ita neceſſarii ſint, ut nihil ſupra. Quapropter neceſſe eſt, ut a capite ius iſtuc civitatis arceſſatur, & cuiusmodi ſit, quos habeat propoſitos fines, quæque iura iisdem conſentanea & requirat, & reipſa teneat.

C. I.

Origo, notio, Proprietates civitatis.

CXCIII. Quemadmodum res humanæ omnes a tenuibus initiis proficiſcuntur, neque per ſaltum aſſequuntur perfectionem ſuam; ita non ſine continua progreſſione a minoribus ſocietatibus ad maiores, nempe anarchicam & civilem ventum eſt.



CXCIV. Neque tamen civilis ſtatus iuri præceptivo naturæ adſcribi poteſt. Conf. §. CX.

CXCV. Quod vel ipſa indicat opinionum varietas de origine Civitatum & Imperiorum.

CXCVI. Cum valde compoſita ſit civilis ſocietas, ad eius pervidendam naturam, uti in omni ſit compoſito, recte materia eius ſpectatur, forma, cauſa efficiens, ac finis.

CXCVII. Ex quibus dein proprietates eius ſtatus eluceſcunt.

C. II.

Imperium civile, eiusque ſubiectum; ex quo forma civitatis pendet.

CXCVIII. Eſſentiale huic ſtatui imperium eſt, poteſtas, ac Maieſtas civilis.

CXCIX. Cum imperium non poſſit non ineſſe in quodam ſubiecto, ex iſtius determinatione forma civitatis pendet. Notiones hic incidentes in iure ſacro uſum habent non contemnendum; poſtquam de forma ſtatus eccleſiaſtici inde ab aliquot ſeculis diſceptari cœptum eſt. Numerum formarum, quas *mixtas* vocant, leges permutationum algebræ exhibent.

CC. De ſimplicibus imperii formis ſua cuiusque commoda, incommoda, morbi recenſentur.

CCI. De ſtatu primum Democratico,

CCII. Dein Ariſtocratico:

CCIII. Demum & Monarchico.

CCIV. De origine civilis imperii ſeu maieſtatis, utrum a Deo proxime conferatur, an ex populi conven-

ventione tanquam canali in Monarcham decurrat, maiore fortaſſis contentione, partiumque ſtudio, quam accuratione aut fructu nonnulli diſputant.

CCV. Dignæ ſunt, quæ expendantur, proprietates civilis imperii.

CCVI. Nec accidentariæ determinationes ſunt prætermittendæ; quæ ex aliis longe cauſis pendent, non ex natura iurium vel negotiorum civilium. Aliter certe diluculari noſtri eſſentialia & accidentalia definiunt, cum de ſacra tractant poteſtate, neque omnino analogiam cum civili habent præ oculis.

C. III.

Modus acquirendi civile imperium & amittendi.

CCVII. Si in diſciplinis figendæ ſunt notiones, fixæque conſtanter retinendæ, nullus eſt *originarius* civile imperium acquirendi modus, ſecundum notionem, quam fiximus §. CXIII. (a). Conf. dicta paulo ante §. CXXVIII.

CCVIII. Proprietates civitatis electivæ.

CCIX. Succeſſivæ.

CCX. Imperium civile amittitur intereunte civitate, aut ea incolumi manente.

C. IV.

Imperio & ſtatui civili reſpondent obligationes & iura ſubditorum.

CCXI. Quæ ſingulis civibus ex notione ac fine, id eſt, natura civitatis proveniunt iura & obligationes, quodammodo *publica* cenſeri poſſunt;

CCXII.



CCXII. Ea autem referuntur vel ad ſummum Imperantem, vel ad totam communitatem, vel ad ſingulos cives alios.

CCXIII. Obligationes civiles erga Imperantem;

CCXIV. Erga communitatem.

CCXV. Erga cives alios ſingulos.

CCXVI. Subiectio civilis variis modis & oritur, & ceſſat.

C. V.

Iura & obligationes Imperantis ac ſubditorum proxime ſeſe exerunt circa ſecuritatem internam & externam civium, & civitatis.

CCXVII. Ad finem civitatis & vim imperii civilis diſtincte concipiendam, atque a rebus ſacris ſegregandam nihil æque conducibile, quam expendere obiecta illa, quæ attinguntur civili imperio. In his præcipua eſt Politia: ſecuritas interna, & externa, quæque ad hanc referuntur.

CCXVIII. Quid ſecuritati internæ obſit.

CCXIX. Recenſentur inſignes articuli politiæ.

CCXX. Alii,

CCXXI. aliique.

CCXXII. De externa ſecuritate. Quam amplus eſt campus, in quem civile imperium excurrat, ſalvis ſacroſanctis iuribus!



C. VI.

Multiplex inter res civiles & ecclesiasticas differentia. Sunt tamen momenta gravissima, itemque media, ac iusti modi, quibus potestas civilis attingit negotia Religionis.

CCXXIII. Non leviter percurrenda, sed animo penitus imprimenda est differentia utriusque potestatis, sacrae nimirum & profanae, fixoque obtutu spectanda utriusque origo, finis, media, negotia. Unde utramque summam esse, neutram ab altera pendere, tam perspicuum fit, ut nihil magis.

CCXXIV. Interest ad cognoscendas veritates momenti maximi, ut idea, quam de felicitate caduca homines sibi effingunt, examinetur, ventiletur, purgetur. In quem finem effata sacri codicis ipsa ratione & experientia confirmata insignem usum praestant;

CCXXV. Felicitas praesentis status cum detrimento religionis, divinique cultus exaggerari a multis solet.

CCXXVI. Ob differentiam ac segregationem utriusque potestatis res divinae ab Imperante negligendae haud sunt; cum multis adstringatur titulis, ob quos eas cordi curaeque habeat. Explicantur ii tituli.

CCXXVII. Specialia Imperantium circa res divinas officia ad Ius Ecclesiasticum remittuntur. Explicata enim institutione divina Ecclesiae, haud magno labore opus est ad eas confutandas hypotheses, quas Novatores quidam ad potestatem Ecclesiae atque ordinis hierarchici methodice eludendam ac subvertendam confinxerunt.



C. VII.

Securitas interna & externa civitatis conſervari non poteſt ſine ſumtibus; quos ſubditi, quantum opus eſt, contribuunt in uſus publicos.

CCXXVIII. Ponderandæ inprimis cauſæ & fines expenſarum publicarum. De bonorum temporalium diverſitate, quæ inde oritur, indicaturque hoc loco, confer deinceps §. CCLXXXIV. (e) & §. CCCXCVII. (c)

CCXXIX. Proximum eſt, ut fontes indicentur, ex quibus ſumtus hauriendi ſunt.

CCXXX. Ius Imperantis exigendi tributa fundatur in natura ſtatus civilis.

CCXXXI. Imperantes conſtituunt præfectos ærario publico: natura & ærario, & ærario præfectis apponit leges ſuas, tanquam cuſtodes.

CCXXXII. Subditi partem patrimonii ſui in ærarium publicum inferunt, ut reliqua pars ſecuritatem obtineat. Hinc obtentu publicæ ſecuritatis ſecuritas privata in diſcrimen adducenda non eſt.

C. VIII.

Aliud medium, quod obtinendo fini civitatis neceſſarium eſt, conſiſtit in conſiliis & miniſteriis officialium eiusdem.

CCXXXIII. Notio muneris privati & publici. Neceſſitas Conſiliariorum, & Miniſtrorum.

CCXXXIV. Ius eos deligendi penes Imperantem eſt: obligatio parendi penes ſubditos ob unionem virium.

CCXXXV.

CCXXXV. Dignitates civiles ex civili imperio tanquam fonte dimanant;

CCXXXVI. Sic tamen, ut eæ naturæ ductu in digniores deriventur.

CCXXXVII. Expenduntur diverſæ viæ perveniendi ad dignitates & munera civitatis.

CCXXXVIII. Nec dimiſſio officialium a muneribus publicis difficultate vacat, aut cautionibus a natura præſcriptis.

CCXXXIX. Obligationes officialium poſitivæ & negativæ reſpondent naturæ & indoli officiorum.

C. IX.

Securitatis & tranquillitatis obtinendæ, conſervandæ ac reſtituendæ nullum præſentius, magisque neceſſarium remedium eſt, quam adminiſtratio iuſtitiæ.

CCXL. Poteſtas iudiciaria perquam neceſſaria eſt in ſtatu civili; ea profluit ex civili imperio; ut adeo Imperans omnis iurisdictionis fons cenſeri queat.

CCXLI. A iurisdictione procedit iudicium, cui non modo finem, ſed etiam ordinem quemdam natura præfixit,

CCXLII. Suasque partes & actori & reo deſignavit;

CCXLIII. Nec vero advocatos ſuæ cupiditati & tumultui reliquit.

CCXLIV. Præcipuas vero partes iudicibus impoſuit.

CCXLV. A quibus lis decidenda eſt ſecundum veritatem & merita cauſæ.

CCXLVI.

CCXLVI. Si pars læſa, quæ ſanari debuit, vulneretur a iudice, natura offert remedia curandæ plagæ idonea.

CCXLVII. Iuſtitium quid & quotuplex ſit.

CCXLVIII. Ad iurisdictionem criminalem rite perſpiciendam in primis notio pœnæ exponitur.

CCXLIX. Qui ius habet infligendi pœnam, eius *ſubiectum activum* dicitur.

CCL. Delinquens ſubiectum *paſſivum* eſt. Utrique ſubiecto ſua iura & obligationes inhærent.

CCLI. Ad notionem pœnæ, eiusque ſubiecti activi & paſſivi adiungenda eſt notio delicti:

CCLII. Proportio pœnam inter ac delictum:

CCLIII. Pœnarumque varia indoles;

CCLIV. Ex quibus præcipua iurisdictionis criminalis capita determinantur.

C. X.

Per poteſtatem legislativam non modo fini civitatis immediate conſulitur, ſed etiam omnia media eidem fini conſentanea in uſum deducuntur; ut adeo poteſtas legislativa velut anima corporis civilis, ac leges, ceu totidem operationes eiusdem animæ ſpectari debeant.

CCLV. Si medicamentis comparantur leges, per quas arceantur morbi, vel curantur, earum tractatio recte ad calcem reiicitur iurisprudentiæ publicæ; quia interna corporis civilis conſtitutio, eiusdemqne operationes atque etiam morbi ante noſcendi ſunt, quam empyricorum more nulla præmiſſa theoria ad medicamentorum noti-

notitiam procedatur. Prima igitur ſe offert notio legis, eiusdemque ab actibus analogis differentia.

CCLVI. Dein finis & materia legum diſpicitur:

CCLVII. Ea materia ſunt actiones, quas aliter atque aliter lex attingit.

CCLVIII. Singularem mentionem illud deſiderat legum genus, quod in præſumptione periculi fundari dicitur.

CCLIX. Difficile non eſt ex dictis concludere, quid ſub legem non cadat.

CCLX. Subiectum activum legis eſt Imperans.

CCLXI. Forma legis in promulgatione ſita eſt.

CCLXII. Eiusdem efficientia vero in obligatione;

CCLXIII. quæ conſcientiam & forum internum afficit.

CCLXIV. Qui legi ſervandæ ſubiacent, ſubiectum paſſivum nuncupantur;

CCLXV. Quale cenſetur ipſum etiam territorium Imperantis. Ad hæc capita diverſæ de legibus quæſtiones & controverſiæ referuntur.



INSTITUTIONUM IURIS NATURÆ LIBER IV.

IUS NATURALE GENTIUM.

C. I.

Notio gentis, & Iuris gentium, eiusdemque principia.

CCLXVI. Prima eſt, cum de multitudine vel turba hominum, aut familiarum agitur, quæſtio definitiva, utrum *gentis* nomine vere comprehendatur. Secus enim humanitatis ea quidem & privatorum, non autem gentium iure gaudet. Similis eſt quæſtio, cum ſecta hominum ex quadam religionis formula viventium Eccleſiam Chriſti ſe nominat.

CCLXVII. Eſt quædam inter phyſicas perſonas, & morales ſimilitudo; tamen negotia ſunt quædam gentium propria, non item ſingulorum. Unde ob ipſam negotiorum naturam, gentiumque notionem ſpeciatim tractanda veniunt ea, quæ a privatis ad publicas perſonas traducuntur, naturæ iura. Idcirco acute diſpiciendum eſt, quid ratio multitudinis civili nexu colligatæ ad privatorum iura & officia addat, vel de illis detrahat. Sunt quædam in omni ſtatu plane eadem, & immutabilia; cuiusmodi ſunt, quæ de finibus, eorumque ordine, gradibus, aptisque illos conſectandi rationibus ſunt conſtituta. Univerſi non minus ſubſunt providen-

videntiæ ſupremi Dei, ac ſinguli; utrinque neceſſe eſt, ut prima ratio & ſummus religionis ſit favor: neque enim poſito civili ſtatu minus adſtringimur Deo, ac in ſtatu primigenio. Et quemadmodum privatorum negotia, aut officia minorum ſocietatum obeſſe non debent officiis religionis; ſic neque probari poſſunt illæ civitatis leges, aut ea politia, quæ religioni ac ſempiternæ civium ſaluti officiunt.

CCLXVIII. Perſonæ morales mutuis iuribus & obligationibus afficiuntur ſalva libertate & independentia. Ex quo ius gentium naturale, idemque univerſale oritur.

C. II.

Officia abſoluta gentium perfecta & imperfecta.

CCLXIX. Officia abſoluta gentium perfecta ſunt vel imperfecta; atque hæc vel noxiæ utilitatis, vel innoxiæ, eaque ipſa activa, aut paſſiva. Utrumne innoxiæ ſint utilitatis, penes gentem eſt definire, quæ præſtare debet illa officia.

CCLXX. Primum ſe offert ius æqualitatis gentium, eiusque confectaria. Civitate disiunctas gentes iungit Eccleſiæ unitas; quæ memorabile inter politicum & Eccleſiaſticum ſtatum diſcrimen inducit.

CCLXXI. Ex æqualitate gentium libertas earundem & independentia profluit.

CCLXXII. Inter gentes, tanquam morales perſonas conſervatio individui & membrorum cogitari poteſt. Et quoniam iura & media conſervationis tam arcte definiri nequeunt, ut ſoli neceſſitati ſerviant; idcirco



perfectio nihil videtur esse, nisi latior quidam conservationis gradus.

CCLXXIII. Ad conservationem & perfectionem pertinet sufficiens copia rerum, quae appositae ad vitam humanam sunt.

CCLXXIV. Eodem pertinent commercia inter gentes,

CCLXXV. eorumque libertas.

CCLXXVI. Existimatio, gloria, fides maxime in personas etiam morales cadunt.

CCLXXVII. Uti & officia quae perfectionem mentis, & sacrosanctam religionem attingunt.

CCLXXVIII. Ex cultu imperfectorum officiorum mutua gentium benevolentia efflorescit. Secus ius retorsionis habet locum.

C. III.

Iura & officia gentium circa Dominium & proprietatem rerum.

CCLXXIX. Quidquid in iure privato de connato singulis occupandi iure, deque ipsa occupatione: quidquid de dominio rerum proveniente ex facto occupationis & occupandi iure tanquam iustissimo titulo: quidquid de confectariis dominii & acquirendi modis derivativis demonstratum est, totum id, quatenus ex iure profluit naturali, ad gentes est transferendum, quae iisdem iuribus non modo utuntur, sed eminentiore etiam ratione utuntur; quia singulorum iura & vires in civili imperio colliguntur, corroborantur, efficaciora fiunt.

CCLXXX. Ad occupationem opus non est consensu aliarum gentium: non occupatur, nisi res nullius: quod-

quodque eiusmodi eſt, ut ſit exhauſti uſus, utque in poteſtatem redigi & viribus phyſicis teneri poſſit.

CCLXXXI. Non inelegans hic enaſcitur quæſtio de dominio maris, utrumne illud,

CCLXXXII. Et quatenus clauſum ſit,

CCLXXXIII. Aut liberum.

CCLXXXIV. Ad confectaria dominii inter gentes referendum eſt ius territorii. Inde diverſa bonorum temporalium denominatio & partitio intelligitur; de qua ſupra facta eſt mentio.

CCLXXXV. Alia dominii confectaria recenſentur. Leges Romanæ, quæ ad transferendum modis derivativis dominium, ut res tradatur, exigunt, a ſimplicitate naturalis iuris recedunt.

CCLXXXVI. Præſcriptionis vis ad transferendum dominium, utrum a natura ſit, an ſecus; in negotiis gentium citius cernitur. Fit ſæpe, ut naturali iuri tribuantur a Scriptoribus ea, quæ qualemcunque præ ſe ferunt æquitatem, & ob id legibus poſitivis conſtitui ſolent. ac VV. ICti Romani nomina naturalis ac gentium iuris fere miſcuerunt, quorum notiones hodie evolvuntur, ſegregantur, accuratius figuntur. Siqua lex determinat media, quæ per naturam determinata non ſunt, etſi per naturam ſint conducibilia ad propoſitos fines, ea non continuo pro naturali lege habenda eſt. Ac ſi præſcriptio apud plerasque etiam gentes vim habet, quemadmodum & conſuetudinum auctoritas, non protinus ipſas inter ſe gentes ea afficit & conſtringit.

CCLXXXVII. Etſi præſcriptio vim a natura non habeat; dubium tamen non eſt, quin divina ſapientia

de remedio iuris providerit, quo iura ſummorum Principum firmentur, & ſiquod in prima regni acquiſitione irrepſit vitium, id progreſſu quodam temporis ſanetur.

C. IV.

Iura & officia hypothetica gentium orta ex pactis, & fœderibus.

CCLXXXVIII. Generalia de pactis privatorum principia applicanda ſunt ad gentes.

CCLXXXIX. Ius paciſcendi gentibus competit. An Chriſtianis cum infidelibus?

CCXC. De valore pactorum inter gentes, & exceptione metus non rara eſt, nec levis controverſia. Ex notione gentis, & natura mediorum, quibus utitur ad ſui conſervationem, aliter fere de gentibus, ac privatis eſt differendum.

CCXCI. Materia pacti nec moraliter nec phyſice impoſſibilis evadat, neceſſe eſt. Pacta etiam inæqualia robur habent.

CCXCII. Pactorum ac fœderum inter gentes varia eſt partitio.

CCXICII. *Sanctum* dicimus in diſciplina naturalis iuris, quod ut immune penitus ab omni violatione ſit, communis ſalus poſtulat. Sancta igitur inter gentes fæderum & pactorum fides eſt; tum quod non ineantur, niſi de rebus ſummi momenti, tum quod ſine graviſſimis multorum incommodis violari non poſſint. Huc pertinet notio de exiſtente *caſu fœderis*.

CCXCIV. Pactiones acceſſoriæ inter gentes quoque locum habent, ac nonnullæ quidem unice propriæ gentium, ceu guarantia, obſtagium.

C. V.

Iura Belli gentium proprii.

CCXCV. Notio belli primum ventilatur; rectene in ſtatu per vim certantium collocetur, ut aliud privatum ſit, aliud publicum, utrumque iuſtum, vel iniuſtum.

CCXCVI. Magna inter cruentam privatorum defenſionem, & gentium bella analogia eſt. Ius ad finem dat ius ad media non quæcunque; nam leniora præferenda ſunt; dein iura neceſſitatis ſunt ſtrictæ interpretationis. Demum inter ius, & prudentiæ regulas diſtingui neceſſe eſt. Nam *quis rex iturus committere bellum adverſus alium regem, non ſedens prius cogitat, ſi poſſit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad ſe? Alioquin adhuc illo longe agente, legationem mittens, rogat ea, quæ pacis ſunt.* Luc. XIV. 31. 32.

CCXCVII. Ius belli ſublatum non eſt lege divina poſitiva. Differt autem a recto uſu iuris.

CCXCVIII. Deductio eius iuris ex principiis naturæ palam facit, eſſe bellum reparativum, defenſivum, aſſecuratorium.

CCXCIX. Nullum autem punitivum.

CCC. Appoſitus hic eſt locus, inſignia corollaria maximique uſus deducendi de nexu, & cavendi iure.

CCCI. Alia eſt disquiſitio de modo ac forma belli, ceu de genere armorum, de iure in perſonas, & res hoſtium.



CCCII. Considerandæ etiam sunt gentes belli sociæ, auxiliatrices, neutrales. Nempe alia est causa principalis, alia accessoria. Conf. §. XXXV.

C. VI.

Iura victoriæ, pactorum bellicorum, & pacis.

CCCIII. Victoria universalis est, aut particularis: sola non efficit, nec demonstrat ius.

CCCIV. Si titulus acquirendi subest, iura victoriæ attingunt hostium personas, res, iura publica civitatis. Idea iuris postliminii.

CCCV. Fides data etiam hostibus servanda est; cum ea obligatio ex natura humana profluat, quæ statu hostili non tollitur. Id pertinet ad inducias bellicas & pacificas, id est, armistitium, ad literas commeatus, pacta deditionis, seu capitulationes.


CCCVI. Ab his demum venitur ad pacem, seu pacificationem; in qua insunt alia communia omnium pactorum: alia propria soli pacificationi, quæ vim transactionis habet: stabilitatem poscit: Amnestiam continet: & inter personas liberas, nulli subiectas communi iudici, concluditur.

CCCVII. Illud commune pactorum, ut primo quæratur de iure concludendi pacem:

CCCVIII. Dein de consensu:

CCCIX. Denique de materia, sive iis, quæ pacificatione comprehenduntur.

CCCX. Unde intelligitur eius effectus; qui firmari potest pactis adiectitiis, e. g. guarantia. Contraria est ruptura pacis.



C. VII.

Ius legationum inter gentes.


CCCXI. Uti ſtatus naturalis & originarius ſingulorum hominum ſocietatem aliorum non excludit: ita nec ſtatus liber & naturalis gentium. Ea ſocietas refertur ad communicationem rerum & operarum: quæ aliquando iuris perfecti, creberrime imperfecti: nonnunquam ſolius decori rationem habet. Porro communicatio iſta ſine tractatu non fit, nec fere tractatus ſine legatis.

CCCXII. Inde pateſit neceſſitas, & legati notio, quæ arctior eſt, quam notio procuratoris tantum, aut ſolius officialis. Ex quo Character repræſentatitius elucet. Alii a legatis ſunt *agentes*, *deputati*, *commiſſarii*.

CCCXIII. Ius legationum a natura tributum eſt gentibus. Reiectio legatorum aliquando iuri perfecto gentium, fere imperfecto, non raro ſoli decoro repugnat.

CCCXIV. Legatorum ſanctitas.

CCCXV. Eorum libertas & exemtio a poteſtate gentis, ad quam miſſi ſunt.



INSTITUTIONUM
LIBER V.
IUS ECCLESIASTICUM PUBLICUM.

C. I.

Ecclesia Christi inde ab origine sua est una, sancta, catholica, & apostolica.

CCCXVI. Quæcumque sit definitio *nominalis* Ecclesiæ; rei ipsius definitio arbitraria non est. Eo nomine sæpe veniunt cætus orthodoxi solum particulares: aliquando Hierarchæ, qui Ecclesiam repræsentant, uti Imperans civitatem. Maxime vero ea denotatur Ecclesia, de qua ex symbolo fidei profitemur: *Credo unam, sanctam, catholicam & apostolicam Ecclesiam.*

CCCXVII. Ecclesiæ origo divina est, vi cuius hæc, quæ *militans* dicitur, cum *triumphante* copulata, & velut incorporata est.

CCCXVIII. Tabulæ divinæ originis & fundationis sunt sacra Scriptura & Traditio.

CCCXIX. Distincta ejus notio ex proprietatibus a Deo inditis, tanquam legibus fundamentalibus, perpetuisque & inconcussis desumitur. In his prima est unitas fidei, caritatis seu communionis, & capitis seu reginimis spiritualis.

CCCXX.

CCCXX. Altera proprietas in ſanctitate ſita eſt, quæ ex doctrina, virtute membrorum, & miraculorum gloria elucefcit.

CCCXXI. Tertia eſt proprietas, quod ſola ſit catholica.

CCCXXII. Quarta denique, qua iure Apoſtolica cenſetur, origine doctrinæ & imperii ſacri.

C. II.

Secundum conſilia divinæ ſapientiæ, & promiſſiones Chriſti Eccleſia usque ad finem mundi permanebit una, ſancta, catholica & apoſtolica; etſi nullo non tempore graviſſimis afflicta ſit, & affligatur vexationibus.

CCCXXIII. Divinus Servator de ſtatu ſuo & ærumnis differens: *Beatus*, inquiebat, *qui non fuerit ſcandalizatus in me.* Matth. XI. 6. Idem accommodandum eſt ad Eccleſiam, cujus perpetuæ & graviſſimæ perſecutiones ab ipſo Chriſto prædictæ ſunt: *Hæc locutus ſum vobis: ut, cum venerit hora, eorum reminiſcamini; quia ego dixi vobis.* Joan. XVI. 4. Ac quando Eccleſiam ſupra petram ædificavit, ut portæ inferi prævalere haud poſſent; ſatis indicavit, eandem perpetuo impugnandam, nunquam expugnandam eſſe. Intereſt cauſas perſcrutari & origines vexationum, & calamitatum, quibus Eccleſia identidem obnoxia eſt.

CCCXXIV. Inde ſaluberrima documenta manant pro iis maxime, qui arma, quibus defendenda eſt Eccleſia, ante abiiciunt, quam in hoſtes unquam ſtrinxerint.



CCCXXV. Dogma de indefectibilitate activa & passiva Ecclesiæ ad ejusdem perspiciendam naturam ac regimen perpetuo præ oculis habendum est.

C. III.

In hunc finem, ut Ecclesia sit, maneatque una, sancta, catholica & apostolica, a Deo instituta est potestas sacra, & imperium sacrum.

CCCXXVI. Institutio sacri imperii in Ecclesia inchoatur ab institutione apostolatus: Ex discipulis seliguntur duodecim: ex duodecim eligitur unus, qui unitatis exordium est.

CCCXXVII. Ea unitas perficitur posito *uno* fundamento totius ædificii mystici, *uno* Pastore totius gregis, *uno* ex fratribus, qui omnes confirmare debeat.

CCCXXVIII. Distinctius expenditur locus Matth. XVI. ubi Petrus fit petra Ecclesiæ totius, & claves regni cœlorum accipit.

CCCXXIX. Dein Locus Luc. XII. ubi unus Petrus confirmare iubetur omnes.

CCCXXX. Denique Locus Joan. XXI. ubi unitas non fidei tantum, sed caritatis etiam & communionis expressius indicatur.

CCCXXXI. Hoc velut fundamento constituto dispiciendum est, quid in reliquos apostolos collatum sit a Christo; ac iura quidem extraordinaria apostolatus necessario segreganda sunt ab ordinariis iuribus Episcopatus in apostolis instituti.

CCCXXXII. Ut sacri imperii distincta comparetur notio, expenduntur ea, quæ ab apostolis vi illius imperii

perii acta, præscripta, & constituta sunt. Neque enim tanta cujusquam impudentia erit, tantaque impietas, ut apostolos alienam potestatem usurpasse, aut politicorum Principum propria iura sibi arrogasse dicat. Exercitium igitur potestatis, qua usi sunt apostoli, versabatur in prædicanda fide & mysteriis fidei, administrandis sacramentis, informandis moribus:

CCCXXXIII. Imperium sacrum aliis præterea iuribus constare, ex dictis & factis apostolorum constat; Non enim omnia, quæ disponenda erant, minutim a Christo determinata sunt; versabatur igitur id imperium

CCCXXXIV. In politia interna Ecclesiæ ordinanda circa conventus sacros, usum donorum divini Spiritus, orationes publicas, ieiunia, vigilias, festa.

CCCXXXV. Præterea in electione, ordinatione, missione novorum ministrorum Ecclesiæ: in præscribendis qualitatibus ad statum clericalem requisitis, & constituendis regulis vitæ & honestatis clericorum.

CCCXXXVI. Ius etiam suum circa sacra celebranda comitia exercuerunt apostoli; in quibus de fide, necessaria morum honestate, & disciplina variabili actum est.

CCCXXXVII. Neque iidem nullam temporalium bonorum curam habuerunt, nempe ad finem Ecclesiæ propositum.

CCCXXXVIII. Exercendo hæc iura aliud non spectarunt apostoli, nisi ut Ecclesia esset, constanterque maneret *una*, unitate fidei, communionis sive caritatis, regiminis: *sancta* fide & moribus ope sacramentorum, verbi divini, exemplorum, & operum piorum: *catholica* per continuam propagationem in omnes mundi

par-

partes: *apostolica*, illibata doctrinæ & successionis origine conservata.

CCCXXXIX. Potestas, quam circa res ante commemoratas atque in finem mox explicatum apostoli exercuerunt, erat inspectoria, legislatoria, executoria.

C. IV.

Potestas sacra a Christo instituta ad successores apostolorum ob eundem finem transiit, ut & Ecclesia esset, constanterque maneret una, sancta, catholica & apostolica.

CCCXL. Quemadmodum vera religio, atque Ecclesia supra Petram ædificata convelli nunquam potest; sic neque imperium & potestas sacra; quia secundum promissionem & institutionem Christi firmitas ædificii ex fundamento provenit, & passiva Ecclesiæ indefectibilitas ex activa pendet.

CCCXLI. Potestas in Petro instituta & transitura ad successores non erat prærogativa solius ordinis, honoris, aut directorii; sed vera potestas auctoritatis & iurisdictionis, & quidem supremæ, universalis, ordinariæ seu immediatæ.

CCCXLII. Hanc potestatem in successores S. Petri transiisse, docet, ac tenet S. Mater Ecclesia.

CCCXLIII. Ex successorum Petri potestate intelligitur, quomodo Ecclesia sit, & constanter maneat una, sancta, catholica & apostolica.

CCCXLIV. Ut de successoribus apostolorum rectum feratur iudicium, in primis segregenda extraordinaria aposto-

apoſtolatus iura, quæ lege ordinaria in ſucceſſores transferenda haud erant.

CCCXLV. At transierunt in Epiſcopos ordinaria iura, eum itidem in finem, ut Eccleſia ſit, & conſtanter maneat una, ſancta, catholica, & apoſtolica.

C. V.

Forma Eccleſiaſticæ Hierarchiæ adumbratur, ac determinatur ſubiectum poteſtatis a Chriſto inſtitutæ, atque ad poſteros transmiſſæ.

CCCXLVI. Poteſtas in Petro & apoſtolis inſtituta tum ad publicum pertinet univerſæ Eccleſiæ regimen, tum ad peculiares functiones ſacras; ac pro his quidem obeundis provide factum eſt, ut inferiores Epiſcopatu gradus a Chriſto inſtituerentur. Inter ipſos autem epiſcopos velut in culmine ſacerdotii poſitos iuſtiſſimis ex cauſis gradus iurisdictionis determinati ſunt.

CCCXLVII. Hierarchia ordinis ad auguſtiſſimum Euchariſtiæ myſterium maxime refertur, in minores ac maiores tributa gradus, penitusque independens a laica auctoritate & poteſtate.

CCCXLVIII. Poteſtas iurisdictionis & regiminis pro foro interno & externo annexa eſt ordini hierarchico. Unde ſubiectum poteſtatis ſacræ generatim eſt clerus: ſubiectum poteſtatis publicæ in Eccleſia eſt Epiſcopatus; a quo Papatus non ordine differt, ſed eminentia auctoritatis & iurisdictionis. Poteſtas publica ab Epiſcopis exercetur vel ſingulis, vel congregatis in Syno-

Synodum. Imo & disperſi Epiſcopi, ceu unum *corpus* paſtorum vel Eccleſia diſperſa quidem, ſed tamen una, conſiderantur.

CCCXLIX. Cum de origine graduum iurisdictionis epiſcopalis quaeritur, aliter de Primate & Capite totius Eccleſiae, aliter de aliis gradibus eſt differendum.

CCCL. Antiquitas gradus & iuris Metropolitici primum indicatur:

CCCLI. Enumerantur dein gradus ſuperiores Exarchorum, Primatum, & quorundam Archiepiſcoporum.

CCCLII. Demum & Patriarcharum; ut palam fiat, quomodo infimi per medios, medii per ſuperiores ad univerſale & commune unitatis centrum, apoſtolicam nempe ſedem attrahantur.

CCLCIII. Cum Poteſtas publica & rectoria Eccleſiae penes Epiſcopos ſit, Metropolitas, Exarchos, Primates, Patriarchas, maximeque penes Paſtorem paſtorum: iure quaeritur, quo ſenſu unus Epiſcopatus in Catholica ſit, uti Veteres Patres loquebantur.

CCCLIV. Quatenus poteſtatem publicam Hierarchæ exercent, recte exprimuntur *unitatis* nomine; ac ſiquis interroget, cui ea poteſtas data ſit, videtur reſpondendum, eam *uni* datam eſſe, *& unitati;* non *uni tantum*, nempe Petro, eiusque Succeſſori; quia Epiſcoporum publica & rectoria poteſtas a Deo eſt inſtituta; neque *unitati tantum;* cum in S. Petro eiusque ſingulari ſucceſſore ex divina inſtitutione inſit Primatus auctoritatis & iurisdictionis; cui ſubordinata eſt epiſcopalis poteſtas. Quando S. Petrus accipiendo claves regni cœlorum repræſentaſſe Eccleſiam, frequenter a S. Auguſtino dicitur, id de Primatu S. Petri, eiusque Succeſſo-

cessorum adeo nihil detrahit, ut secundum receptas in Iure publico gentiumque loquendi formulas eundem etiam confirmet; nam & Imperans civitatem, cui cum summo præest imperio, repræsentat; eoquod illud imperium non suo, sed civitatis bono commodoque teneat & exerat; nec illud ita alligatum personæ suæ, ut non transmittat in successores; quia civitas non moritur.

CCCLV. Erronea Richerii hypothesis iuste damnata & cum primum prolata, simul reiecta & explosa est.

CCCLVI. Si penes populum neque ex natura civilis unionis, neque ex libera Dei collatione quidquam potestatis spiritualis & ecclesiasticæ resident; quomodo inesse quidquam potest in Principe & Rectore populi? ac si populi securitatis causa in civitates coiverunt, iidemque partem naturalis libertatis non alio abdicarunt consilio, quam ut potiorem eius partem tuerentur salvam; certe nulla in re libertas minus constricta per civilem nexum cogitari potest, quam ut suum quisque civium salutis sempiternæ negotium secundum Dei præscriptum ductumque agere tuto libereque possit. Siquis igitur finem civitatis, mediaque eidem fini consentanea, si principia iuris ex fine profluentia, si obiecta expendat; non potest non apertissimam utriusque potestatis, Ecclesiasticæ & civilis differentiam intueri.

CCCLVII. Recensentur instabiles Protestantium de sacro regimine hypotheses.

CCCLVIII. Cum de subiecto supremæ in Ecclesia potestatis agitur, recentiores Doctores Theologiæ quæstionem movent de præeminentia Conciliorum supra Papam, aut Papæ supra Concilia: Plenam eius rei tra-

ctationem Theologi ſibi vindicarunt, quibus & relinquimus. Sed tamen quid generatim idea inſtitutæ in Petro pontificiæ poteſtatis, quid ratio fundamenti, cui Eccleſia innititur, quid analogia principiorum iuris dictet: quid denique ipſi perſpexerint Proteſtantes ex catholico ſyſtemate Romanæ Eccleſiæ, quod videre nolunt quidam catholici Doctores, indicatur.

CCCLIX. Ex determinatione ſubiecti, in quo ſacrum imperium ineſt, forma ſtatus & imperii Eccleſiaſtici pendet. Duo tamen ante indicanda ſunt, quam de illa ſtatuatur; nempe 1. quos *limites* habeat & ſuprema Vicarii Chriſti, & ſubordinata Epiſcoporum poteſtas: 2. quam *plena*, aut minus plena cenſeri utraque debeat. De quovis enim imperio, utrumne abſolutum ſit, an limitatum, disquiritur; itemque, ſubiectum, in quo imperium ineſt, cunctis ne polleat iuribus ad eius finem pertinentibus, an quædam diviſa, atque in aliud ſubiectum collata ſint. Quando igitur ex genuinis fontibus tum magnitudo Pontificiæ poteſtatis, tum limites patefiunt, una intelliguntur iniuſtæ eorum querelæ ſeu potius calumniæ, quibus a Doctoribus catholicis ultra modum exaggerari pontificiam poteſtatem indignantur.

CCCLX. Si ſuprema Vicarii Chriſti poteſtas ſuis non caret limitibus, nihil magnopere mirum videri debet, ſubordinatæ Epiſcoporum poteſtati, iſtiusmodi eſſe poſitos limites, quorum ratio ex natura ac fine Epiſcopalis poteſtatis, determinatio vero ex Eccleſiæ, id eſt, Conciliorum & Papæ diſpoſitione pendet. Quapropter de Diœceſium finibus, de vi generalium Eccleſiæ legum, de reſervationum & exemtionum iure hoc maxime loco generatim cognoſcendum eſt.

CCCLXI. Poſtquam de limitibus Pontificiæ & Epiſcopalis poteſtatis actum eſt, altera relinquitur quæſtio, quam plena ſit poteſtas utraque. Summo Pontifici plenitudinem poteſtatis fuiſſe conceſſam a Deo, ambigi non poteſt. In partem eius plenitudinis vocati ſunt Epiſcopi, quando & ipſi, etſi adſtrictam ad Diœceſes poteſtatem habeant, tamen vi unitatis catholicae, etiam catholicae conſulunt Eccleſiae. Romani Pontificis ſuprema eſt illa quidem, non tamen ſola poteſtas rectoria, neque eius poteſtatis unicum ſubiectum, neque legum & iurisdictionis ſolus ipſe fons nuncupari poteſt; quemadmodum in politicis nuncupatur rex, qui pleno imperio ſolus potitur. Quodſi nunquam defuerint, nec in poſterum defuturi ſunt Epiſcopi magno numero, qui in cauſis etiam diſciplinae cum Romano conſentiant Epiſcopo; id divinae adſcribendum eſt providentiae, non quod Pontificia ſententia Epiſcoporum conſenſui, tanquam limiti poteſtatis, ſit alligata.

CCCLXII. Ex iis, quae praemiſſa ſunt, de forma ſacri imperii, ac de natura ſacrae huius ſocietatis haud difficulter videtur pronunciari poſſe. Eſt igitur Eccleſia, ſocietas legalis — inaequalis, — perfecta, adeoque ſacer quidam ſtatus. — Iſtius ſtatus forma nequaquam Democratica eſt, nec Ariſtocratica, neque penitus Monarchica, neque ſyſtemati civitatum ſimilis, neque tam mixta ex Ariſtocratia & Monarchia, quam monarchica ex Ariſtocratia limitata, temperata; diſcrimen maximum ab aliis profanis formis ſingularis prærogativa unitatis efficit, huius ſacræ ſocietatis maxime propria. Et quamquam de loquendi formulis, quando de re conſtat, magnopere laborandum haud ſit; tamen ſi parum aptæ ſint

eæ formulæ, cito a veritate rei ipſius homines abducuntur; præſertim cum expreſſiones profanorum imperiorum propriæ, haud ita multo tempore ad res Eccleſiaſticas transferri cœptæ ſint.

CCCLXIII. Ad hanc de ſubiecto ſacræ poteſtatis tractationem referenda videtur celebris controverſia non tam de origine poteſtatis epiſcopalis, quæ certe divina eſt, quam derivatione eiusdem in certum ſubiectum; utrumne immediate a Deo, an ex plenitudine ſeu pleno fonte poteſtatis eccleſiaſticæ petenda ſit. Ac differt ſane propagatio a ſucceſſione, quæ ſine anteceſſore cogitari non poteſt. §. CCVII. aut certe alia proprie, alia improprie dicta ſucceſſio ſtatuenda eſt. Epiſcopi, etſi ſedem teneant, in qua nullus anteceſſerit Apoſtolorum, tamen eorum ſucceſſores vocantur, eo etiam ex capite, quod perinde participes ſint eius plenitudinis, qua Chriſti Vicarius gaudet, ac Apoſtoli erant. Conf. CCCLXI. (b)

C. VI.

Expenduntur varia relationum, nexuum ac reſpectuum genera, quæ inter ſtatum eccleſiaſticum & civilem, ac utriusque poteſtatis negotia exaggerari ſolent ab hodiernis ſcriptoribus non paucis.

CCCLIV. Eſt hæc quaſi appendicula eius poſitionis, qua poteſtas ſacra a civili independens, liberaque, ac ſumma in genere eccleſiaſticarum rerum ſtatuitur. Hodierni Scriptores id verbis concedunt: re tollunt: tot enim confingunt artes arctandi ſacrum imperium, tot nexus, relationesque excogitant ſacrarum rerum, & civilium, quae penes poteſtatem politicam ſunt, ut ſacra poteſtas

aut

aut nulla ſit, aut in manibus civilium magiſtratuum quaeri debeat.

CCCLXV. Expenditur vis & veritas eius dicti, quo frequenter utuntur: Eccleſia in ſtatu eſt (civili), non e contrario ſtatus in Eccleſia.

CCCLXVI. Imperium ſacrum regimini civili tanquam formidandum exhibent: Principi ius cavendi tribuunt, nequid detrimenti ex negotiis Eccleſiæ civitas capiat.

CCCLXVII. Bonum publicum obiectant contra uſum ſacrae poteſtatis.

CCCLXVIII. Poteſtas civilis, anne & quatenus reſpiciat felicitatem aeternam, ac ſalutis ac religionis officia.

CCCLXIX. Advocatia Principum, an libertati Eccleſiæ officere debeat.

C. VII.

Demonſtrato ſacræ poteſtatis ſubiecto præcipua illius obiecta conſiderantur, atque inprimis cauſæ fidei, ac divini iuris.

CCCLXX. In re tam ampla, qualis eſt Iuris eccleſiaſtici publici tractatio, non modo via & ordine procedi neceſſe eſt, ſed ſaepe ad eundem rerum ordinem, ſeriemque advertendus animus, ne qua idearum cognitionumque confuſio oriatur.

CCCLXXI. Palmaria veritas huius loci propria praefigitur: Extra veram catholicam fidem nemo ſalvus eſſe poteſt: idque Eccleſia Romano-Catholica conſtanter docuit.



CCCLXXII. Ecclesia potestatem suam exercuit circa rectum usum SS. Scripturarum:

CCCLXXIII. Et vim Traditionum tuendam.

CCCLXXIV. Dein ad causas fidei pertinet praescriptio Symbolorum: examen librorum & doctrinarum.

CCCLXXV. Expenditur modus, quo Ecclesia in causis fidei ac divini iuris procedit.

CCCLXXVI. In iis causis praecipuae partes sunt Rom. Pontificis.

CCCLXXVII. Ius Episcoporum in causis iisdem.

CCCLXXVIII. Officia Advocatorum Ecclesiae in protegenda fide, ac divino iure.

C. VIII.

Post causas fidei, eiusque unitatis conservandae nihil statum publicum Ecclesiae propius attingit, quam unitas caritatis & communionis.


CCCLXXIX. Eius unitatis in Ecclesia Christi necessitas inquirenda, solerterque expendenda est.

CCCLXXX. Eidem obest Schisma:

CCCLXXXI. Illustrantur dicta exemplo Schismatis Novatiani.

CCCLXXXII. Ab unitate caritatis & communionis segregat excommunicatio.

CCCLXXXIII. Denique iura Pontificis, Episcoporum, Principum pro conservanda hac unitate indicantur.



C. IX.

Etsi Ecclesia Christi sit catholica; multi tamen in orbe terrarum sunt homines, qui in eam nunquam ingrediuntur: non pauci, qui perfide egrediuntur, aut iuste eiiciuntur. Quare indicandum est, quae erga istiusmodi homines iura sint, & officia Ecclesiae.

CCCLXXXIV. Ex iis, quae adhuc deducta sunt, distincte intelligi demum potest, quis Sanctae Ecclesiae membrum reipsa sit, & haberi debeat.

CCCLXXXV. Sectariorum conventicula non sunt Ecclesiae veri nominis.

CCCLXXXVI. Interest, causas discessionis eorundem scrutari.

CCCLXXXII. Diversi gradus tolerantiae designantur.

CCCLXXXIII. Rationes eiusdem ponderantur.

C. X.

Post causas fidei & unitatis disciplina Ecclesiae generatim spectanda est, tanquam obiectum potestatis sacrae, & advocatiae Principum.

CCCLXXXIX. Disciplinae summa genera quatuor constituuntur.

CCCXC. Quid iuris divini sit, aut referri ad disciplinam variabilem debeat, Ecclesia definit.

CCCXCI. Eadem iure gaudet informandi, ac constituendi disciplinam.

CCCXCII. Regulae de mutatione disciplinae.



CCCXCIII. De qua re multa falſo opinantur nonnulli.

CCCXCIV. Memorabilis diſciplinæ articulus ea ſunt impedimenta dirimentia matrimonii, quae iuri divino attribui nequeunt.

C. XI.

Enumerantur obiecta quædam particularia, circa quæ poteſtas ſacra & rectoria Eccleſiæ verſatur.

CCCXCV. Ius Papae, Epiſcoporum, Principum circa Concilia. Duplici ſane modo ſpectari poſſunt Concilia, tum ut ſubiectum ſacræ poteſtatis, tum ut obiectum eiusdem. Nam circa convocationem eorundem, celebrationem, confirmationem & executionem variis iuribus atque obligationibus afficiuntur & ſacri Hierarchae, & politici Principes.

CCCXCVI. Ius circa creandos Eccleſiæ miniſtros.

CCCXCVII. Ius circa bona temporalia Eccleſiarum.

CCCXCVIII. Ius circa uſum & exercitium poteſtatis, ſive regimen Eccleſiæ.

CCCXCIX. Speciatim circa iudicia Eccleſiaſtica;

CCCC. Circa promulgationem legum Eccleſiæ.

CCCCI. Placetum regium, anne neceſſarium ſit pro regimine Eccleſiæ.

POSI-

POSITIONES SELECTÆ

EX

IURISPRUDENTIA

NATURALI, ET POSITIVA.

✤ ✤ ✤

AD DILUCULARIOS.

Ita omnium rerum novarum immoderatus amor se habet, ut ipſa ſui novitate ſibi & aliis admirandus in primis ferveat, citiusque ſperato tepeſcat. Præſtringit oculos coruſci inſtar ſplendoris; qui ſicut repentinus ſe ingerit, ſic vix viſus recedit. Itaque noctem illuſtrat, ut denſiores tenebras recedens relinquat.

Petrus Cluniacenſis Libro II. Epiſtola 33.

✤ ✤ ✤



EX

IURE NATURÆ

PRIVATO.

I.

Doctrina Iuris naturalis ab aliis extracta ac separata disciplinis ingentia commoda affert canditatis sublimiorum scientiarum. At abstracta a dogmate de existentia summi Dei, eiusque perfectionibus, & immortalitate animorum, ea doctrina manca est, infirma, & perniciosa.

II.

Inquisitio naturalis Iuris a contemplatione theoretica naturæ, maximeque hominis inchoanda est, a qua provehimur ad practicas cognitiones, ipsa vi naturali cogitandi erutas.

III.

Practicæ cognitiones ex contemplatione naturæ provenientes tria nobis exhibent: 1. Iura seu facultates a natura concessas: 2. Obligationes a natura impositas: 3. Consilia ab eadem natura nobis proposita.



IV.

Obligatio naturalis vi vocis denotat vinculum, ſed nempe accommodatum naturæ mentis intelligentis, validiſſimum, & internum; unde ſi notio imaginaria reducatur ad realem, haud ægre intelligitur, aliam eſſe activam, aliam paſſivam obligationem: illam in voluntate ſeu iuſſu ſummi Dei ſitam eſſe: non quamvis connexionem motivi cum actione pro obligatione iactitari poſſe.


V.

Cum varia ſint obligationum ac iurium naturalium genera, eorum omnium veluti communis fons ac principium inveſtigari ſolet, idque in natura rerum hominisque, ejusque diverſo ſtatu videtur conſtituendum.

VI.

Natura autem hominis, ſi complete ſpectetur, neceſſariam involvit connexionem, ſeu relationem aut dependentiam a ſupremo Conditore rerum, Gubernatore, ac Fine ultimo beatitatis; ut adeo parum interſit, eane natura complete ſumta, an divinæ perfectiones principium eſſe dicantur naturalium obligationum ac iurium.

VII.



VII.

Principia, quibus Thomas Hobbes in ſtatum primogenium naturæ invexit bellum omnium in omnes, viam ac modum docent, in Iure publico miſcendi ſacra & profana.

VIII.

Præter facultates & obligationes naturæ, in humanis actionibus adiuncta quoque varia, & fines agentium conſiderari debent, ut intelligatur earum moralitas completa.

IX.

Alia præterea eſt plurimorum actuum affectio, qua validi dicuntur, aut irriti: in horum numero ſunt illi, qui gravi & iniuſto metu extorquentur.

X.

Spectatis principiis naturæ apte ad binas claſſes reducitur ea, quæ vulgo tripartita ſtatuitur, officiorum diviſio; ſunt enim officia hominis erga Deum, & hominis erga hominem.

XI.

Officia hominis erga Deum, ſeu officia religionis partim abſoluta ſunt, partim hypothetica, quæ poſito ſupernaturali hominis fine, ſtatuque

tuque religionis revelatæ per ſeſe conſequuntur.

XII.

Poſito eo ſtatu nulla eſt Autonomia, ſeu ius in negotio religionis pro ſuo arbitrio ſentiendi, ac ſtatuendi.

XIII.

Differt ſane indifferentismus a tolerantia, tolerantia a favore ſectis exhibito, ſavor a iure interno ſecundum genuinam notionem intellecto.

XIV.

Qui ex formula Pii IV. animo ſincere tenet, & ore publice profitetur: *Extra hanc veram catholicam fidem* (in eo ſymbolo expoſitam) *nemo ſalvus eſſe poteſt;* nequit de intolerantia accuſari; & qui prædicationi eius veritatis adverſatur, revera prædicationi religionis catholicæ adverſatur.

XV.

Officia hominis erga hominem numero pondere & menſura reſpondent analyſi completæ naturæ hominis.

XVI.

Lex naturalis de conſervatione ſui ipſius non obſtat, quo minus periculo mortis ſe quis exponat, confitendo veram fidem, exercendo inſignem caritatem, pugnando contra hoſtes patriæ.

XVII.

Eadem vero lex obſtat autochiriæ.

XVIII.

Omnis deliberata locutio contra mentem repugnat naturali iuri; neque in ſenſu quorundam auctorum admitti poteſt diſtinctio inter mendacium & falſiloquium.

XIX.

Specialia iura & officia hominis erga hominem determinat triſtis favor neceſſitatis.

XX.

Defenſio cruenta cum moderamine inculpatæ tutelæ per ſe conceſſa eſt: ob adiuncta fieri poteſt, ut ſit præcepta, aut prohibita.

XXI.

Eadem locum non habet pro defenſione honoris; unde duellum ſive monomachia proprie dicta prohibita eſt iure naturali & divino, etiam pro ſtatu hominis naturali, aut civitatis

male



male ordinatæ, ita ut ſemper illicitum ſit, acceptare vel offerre duellum ad ſervandas cum honore fortunas, etiam tum, quando alio remedio earum iactura propulſari nequit: nec ullus metus amittendæ famæ & officii excuſet a transgreſſione naturalis legis.

XXII.

Extrema neceſſitas non reducit communionem bonorum, neque proprietatem dat; ſed ſolum uſum, aut etiam conſumtionem concedit; at non aliter, niſi cum onere reſtituendi vel compenſandi, poſtea quam neceſſitas transacta, & reſtituendi facultas præſto eſt.

XXIII.

Uti frequentiſſima hominum negotia, ſic & plurima officia ac iura verſantur circa res externas ad vitæ humanæ neceſſitatem, commoditatem & honeſtam iucunditatem conditas. Earum rerum ſpectato primigenio ſtatu non alia intelligitur communio, niſi negativa.

XXIV.

Modi acquirendi primitivi ſunt occupatio, & acceſſio. Ius tamen occupandi occupari non poteſt.



XXV.

Teſtamenti factio, & præſcriptio valde conſentaneæ eæ quidem ſunt æquitati naturali: ius tamen firmum non præſtant absque adminiculo legis poſitivæ. Difficilior eſt definitio de ſucceſſione ab inteſtato inter parentes & liberos.

XXVI,

Ut iura & obligationes ex pactis & contractibus provenientes determinentur, ſpectanda eſt materia pacti, ius paciſcendi, & conſenſus paciſcentium.

XXVII.

Pactum ſub turpi conditione initum nullam producit obligationem, etiam impleta iam conditione.

XXVIII.

Ex ignorantia vel neglectu officiorum circa res externas frequens oritur obligatio reſtituendi, quod alteri debitum eſt. Hæc autem propoſitio: extra contractus duæ ſunt radices reſtitutionis: *res accepta*, *& iniuſta* (formaliter) *acceptio;* non eſſe principium videtur, ſed theſis magnopere controverſa.


XXIX.

Qui proprietatem loquendi, ut oportet, in ſcientiis ſectantur, non inepte ita ſtatuunt: *nulla eſt culpa iuridica.*



XXX.

Iuri naturali conveniens eſt, ut poſſeſſor bonæ fidei ſimul cum re evicta reſtituat fructus tam extantes, quam ita conſumptos, ut inde locupletior evaſerit, ſive patrimonium ſuum auxerit. Huic naturali æquitati obſtare poteſt rationabilis tribunalium praxis, aut præſcriptio poſſeſſoris; leges Romanæ, quæ contra eam afferuntur, non ita claræ ſunt, ut recedendum ab ea ſit.



EX

IURE NATURÆ

SOCIALI.

XXXI.

A Societate veri nominis differt turba, & quodvis genus conventiculorum, quæ contra leges conflantur.

XXXII.

Quando in collegiis per ſuffragia negotium decidendum eſt, in quæſtionibus AN? absque maioritate ſuffragiorum frequenter obtinet calculus Minervæ. In quæſtionibus QUOMODO? neceſſaria regulariter eſt eorum pluralitas: in certis tamen negotiis non ſufficit. Exempla ſuppetunt



petunt tum ex SS. Canonibus, tum ex conſtitutione impetii Germanici, tum ex natura ipſius negotii.

XXXIII.

In electionibus Prælatorum optime ſtatutum eſt, ut attendatur non tantum ad maiorem, ſed etiam ad ſaniorem partem ſuffragantium. In aliis negotiis, in quibus collegium non dependet a ſuperiore, ſuffragia numeranda, non ponderanda ſunt.

XXXIV.

Imperium ſocietatis inæqualis recte in tres veluti partes dividitur, inſpectoriam, legislatoriam, & executoriam.

XXXV.

Societates ſimplices ſunt coniugalis, parentalis, & herilis; ex tribus hisce, vel binis exurgit ſocietas compoſita familiæ.

XXXVI.

Obligatio conſervandæ & propagandæ ſpeciei afficit univerſos, non ſingulos.

XXXVII.

Error Perſonæ iure naturæ dirimit matrimonii contractum: non item error qualitatis, etſi ſit antecedens: neque error circa cauſam impulſivam, niſi transeat in conditionem, cui

G 2 ex-




expreſſe alligatur intentio contrahentis; quod tamen non præſumitur, nec facile permittitur in contractu matrimonii.

XXXVIII.

Qui poſt ſponſalia gravi & iniuſto metu contracta & iuramento confirmata, contrahit ceſſante metu matrimonium, non cenſendus eſt, agere ex virtute religionis, aut iuſtitiæ.

XXXIX.

Nulla datur ſervitus originaria.



EX

IURE NATURÆ

PUBLICO.

LX.

Status civilis non eſt a iure naturæ præceptivo.

XLI.

Secundum receptas de modis acquirendi ideas nullus eſt *originarius* modus acquirendi imperii civilis.

XLII.



XLII.

Digna eſt vox Maieſtate Imperantis, Principem propter populum eſſe, non populum propter Principem.

XLIII.

Cum præcipuus civitatum finis ſecuritas ſit eorum, qui in civitate degunt, hæc etiam exiſtimationi & honori eorundem præſtanda eſt. Et quamvis divinus Servator miniſtris & diſcipulis ſuis acerbiſſima odia prædixerit, & maledicta & probra, quibus onerandi eſſent propter nomen ſuum; hoc tamen vaticinium eventu non carebit, etſi politica poteſtas ſeveras leges ſanciat contra inſectatores miniſtrorum religionis & hoſtes ſtatus Eccleſiaſtici.

XLIV.

Sapientiſſimæ ſunt cautelæ, quas Politia adhibet, & laudabilia remedia, quæ præſcribit, ne lues, quæ in vicinia graſſatur, territorium corripiat, vel ut homines aquis hauſti, frigore torpentes, aut de cælo perculſi ſenſuum uſum recuperent; a potiori commendandæ ſunt leges, per quas Principes cavent, ne erroribus Sectariorum inficiantur orthodoxi, aut Sectarii ipſi in erroribus computreſcant.



XLV.

Dictum illud, quo ſæpe utuntur quidam Scriptores: *Eccleſia eſt in ſtatu* (civili), *non e contrario ſtatus in Eccleſia*; ſi ſecundum verborum proprietatem examinetur, falſum eſt; etſi improprio quodam ſenſu admitti poſſit: quocunque ſumatur ſignificatu, contra ſacra Eccleſiæ iura nihil efficiet, niſi quis hypotheſin Sectariorum, ſive ſyſtema territoriale, ut vocant, tacite aſſumat, & Eccleſiam regimini ſeculari ſubiiciat.

XLVI.

In iudiciis non datur caſus pro Amico.

XLVII.

Iudex reum, quem privata ſcientia certo ſcit eſſe innocentem, nec in cauſa civili, nec criminali condemnare poteſt, etſi videatur probari nocens.

XLVIII.

Res iudicata non habet locum in conſcientia, ſi poſtea de iure partis certo conſtet, aliusque titulus non accedat.



XLIX.


Lex prohibens vel irritans actum, in utroque foro tam interno quam externo eum prohibere vel irritare censenda est. Fieri tamen potest, ut lex positiva, quae actum simpliciter irritare videtur, non omnem ei valorem etiam pro foro interno auferat, siqua obligatio eidem actui aliunde competit:

L.

Exemplum praebet ius Romanum circa actus quosdam pupillorum sine consensu tutoris initos.

LI.

Qui e territorio egreditur, ut obligationem legis evitet, neque obligationem legis, neque peccatum reipsa evitat.



EX

IURE NATURALI

GENTIUM.

LII.

Si confusa veterum Iurisconsultorum Romanorum de Iure gentium idea revocetur ad distinctam, nullum relinquitur Ius gentium voluntarium, a naturali diversum.



LIII.

Gentis nomine non quæcunque familiarum multitudo venit, ſed ea duntaxat, quæ communi imperio ſecuritatis cauſa conſtituto regitur, quæcunque imperii ſeu regiminis forma ſit;

LIV.

Igitur homines vagi, palantesque in inſulis, & ſilvis, nullo ſummo imperio conſociati, in quibus magis aggregatio, quam ſocietas familiarum conſpicitur: itemque latronum turba eum in finem conglomerata, ut alias invadant regiones: aut factio rebellium, aut denique populus a ſuo Principe deſciſcens gentium jure, ac nomine nequaquam gaudent.

LV.

Qui inter veram Chriſti Eccleſiam, & ſectas ab ea avulſas, ac inter ſemet diſſidentes principia iuris gentium locum habere fingunt, indifferentismi videntur patrocinium ſuſcepiſſe.

LXI.

Oceanus ſecundum totam ſuam vaſtitatem ſpectatus nativa ſua libertate gaudet, nulli ſubiectus

iectus; quoad minores tamen tractus & quoad sinus dominium non respuit, nec vincula conventionum.

LVII.

Praescriptioni inter gentes admittendae non favent ea, quae Ammonitarum regi terram Israel invadenti a Jephte in responsis data sunt. Iudic. XI. 26.

LVIII.

Exceptio metus non perinde in iure gentium, ac iure naturae privato locum habet.

LIX.

Iusta belli inferendi causa non est crescens vicinae gentis potentia, aut aequilibrium.

LX.

Non Christiani ducis, sed furentis hominis est, nullo suo bono nocere alteri genti, & ea perdere, quae nec hosti vires adimant, nec perdenti emolumentum afferant.

LXI.

Ceterum qui servato naturae iure receptam inter cultiores gentes bellandi consuetudinem non observaverit, non alia ex causa violati iuris



gentium argui poteſt, ac ille imperitiæ inter gladiatores accuſatur, qui adverſarium non ſecundum regulas artis vulneravit.

LXII.

Quando A. 1444. Cardinalis Iulianus Uladiſlao Hungariæ & Poloniæ Regi declaravit, eum pacificatione cum Amurathe II. inita non ligari; nihil dixit, vel ſuaſit contra principia Iuris gentium; multoque minus Eugenius P. IV. qui totum id ratum poſtea habuit.



EX

IURE ECCLESIASTICO

PUBLICO.

LXIII.

Circa ius Sacrorum Proteſtantes Germaniæ varias hucusque hypotheſes excogitarunt pro opportunitate temporum & circumſtantiarum. Solum Syſtema catholicum, quo ius iſtud tribuitur Prælatis Eccleſiaſticis, nititur principiis ſolidis & ſtabilibus.

LXIV.

LXIV.

Nomine autem iuris Sacrorum & causarum religionis non sola venit authentica declaratio dogmatum, sed inde a primis seculis eo nomine intelligebantur alia negotia Ecclesiastica, ceu causæ Episcoporum, determinatio limitum Dioecesеon vel Patriarchatuum, administratio bonorum Ecclesiæ temporalium.

LXV.

Nihil tam dissonum, secumque ipso pugnans excogitari facile potest, quam doctrina quorundam Scriptorum, qui spreta ultimorum temporum disciplina extollunt veterem, & insuperhabito veteri fidei zelo tolerantiam commendant sectarum a fide Romano - Catholica alienarum.

LXVI.

Capitulares electuri Episcopum, eiusdem potestatem nec in sacris, nec in temporalibus per capitulationes etiam iureiurando munitas limitare possunt.

LXVII.

Electionem sui ad Prælaturam licite acceptare non potest, qui ex occulto defectu scit se indignum esse.



LXVIII.

Cum Episcopi Germaniæ duplicem agant personam, & Hierarchæ sacri in centrum unitatis tendentis, & Principis Imperii; merito etiam duplicis iuramenti vinculo sese adstringunt.

LXIX.

Matrimonii contractus inter fideles regitur legibus naturalibus, politicis, & Ecclesiasticis, eo nempe fine ac gradu, quem unaquæque lex habet propositum.

LXX.

Illi fini ac gradui perquam conformis fuit declaratio A. 1629. edita a Ludovico XIII. Galliæ Rege, qua edixit, leges politicas de nullitate matrimoniorum, quoad effectus civiles duntaxat, & in foro externo, non autem quoad substantiam & nullitatem intrinsecam intelligendas esse. Teste Fevretio Iurisconsulti Galli non aliter interpretati sunt edicta regia.

LXXI.

Si lex Pontificia generalis, & non mere declaratoria Romæ promulgata in provinciis speciatim non promulgetur, subditi ab eius observatione regulariter excusantur ex præsumta voluntate Summi Pontificis non urgentis observa-

tionem



tionem legis in provincia; hæc tamen præsumtio cedit veritati certo cognitæ de contraria voluntate Ecclesiastici Legislatoris.



EX

IURE ECCLESIASTICO

PRIVATO.

LXXII.

Cum principiis iuris naturalis de valore actuum penitus consentit declaratio a S. Gregorio P. VII. facta Henrico Episcopo Leodiensi, ab Arnulpho Comite iniuste exspoliato, atque ad iurandum vi adacto, quod res ablatas nunquam repetere, ac prædatori veniam a Papa impetrare velit. De hoc iuramento ita rescripsit Sanctissimus Papa: *De iuramenti iniustissima obligatione Dilectioni tuæ sic respondemus, non debere existimari, Eam ullis iuramenti vinculis posse teneri, quæ tam nefandissime coacta iuraverit.* Hartzheim Concil. Germ. T. III. p. 189.

LXXIII.

Provide tamen cavent sacri Canones, ne, qui metu coactum se iurasse causatur, suo unius iudi-

iudicio de religione iurisiurandi definiat. Quocirca idem Sanctus Pontifex in ſuo ad Epiſcopum reſponſo addidit: *Unde & apoſtolica te auctoritate abſolvimus, ut non tuæ vel alicuius conſcientiæ ob hoc videaris annexus, aut debitor eſſe.*

LXXIV.

Iuramenta ſecundum principia naturalis Iuris non modo ob vim & metum, ſed ex aliis præterea cauſis ſæpe invalida ſunt; perpetuo tamen cavent ſacri Canones, nequando nomen Dei videatur in vanum fuiſſe aſſumtum. Hinc ſi iuratum eſt de uſuris ſolvendis, aut ſolutis non repetendis, aut de non agendo ſuper repetitione earundem; deciſum eſt, ut creditores uſurarii diſtrictione Eccleſiaſtica compellantur, ea iuramenta relaxare, & ab exactione uſurarum deſiſtere, & quidem ante earum ſolutionem; uti ſtatuitur c. 1. de Iureiurando; & c. tuas. 13. de Uſuris.

LXXV.

In celebri cap. Debitores. 6. de Iureiur. ita ſtatuitur: *Debitores, ſi de uſurarum ſolutione iuraverint, cogendi ſunt Domino reddere iuramentum. Et cum uſuræ ſolutæ fuerint, creditores ad eas reſtituendas ſunt Eccleſiaſtica ſeveritate, ſi neceſſe fuerit, compellendi.* Ut hæc deciſio concilietur

cum

cum aliis Canonibus, neque ut nugatoria explodi poſſit, cum Innocentio P. IV. in commentario eiusdem capituli opinamur, tunc demum debitores, ſi de ſolutione uſurarum iuraverint, cogendos eſſe domino reddere iuramentum, quando de promiſſione uſuraria iudici non conſtat, aut quando iudex parte altera non audita, eoquod ſui copiam non faciat, aut tempus ſolutionis iam inſtet, illud ex officio relaxare nequit. Sed hoc ipſo caſu, ſi poſtmodum de uſuraria pravitate compertum ſit, creditores ad uſuras reſtituendas, ſunt Eccleſiaſtica ſeveritate, ſi neceſſe fuerit, compellendi.

LXXVI.

Sponſalia inter impeditos impedimento iuris humani, inita ſub conditione: *Si Papa diſpenſaverit*; non ſunt vera ac valida ſponſalia, quæ impedimentum publicæ honeſtatis, aliosque effectus producant.

LXXVII.

Spectata naturali æquitate & mente SS. Canonum beneficium reſtitutionis in integrum non videtur denegandum ſponſis minorennibus in contractu ſponſalitio graviter læſis, ſi occurrentes circumſtantiæ, quæ aliis negotiis circa hoc beneficium ſunt communes, illud poſtulare videan-



videantur. Atque hoc remedio ſponſi conſulent conſcientiæ ſuæ, quæ per ſolam exceptionem denegatæ actionis minime tuta eſt.

LXXVIII.

Inter perſonas conſanguineas in linea obliqua, quarum una a communi ſtipite diſtat primo gradu, altera quinto, citra diſpenſationem licite & valide contrahitur matrimonium. Poſitio eſt contra Carpzovium ICtum acatholicum, de uſu arboris conſanguinitatis. N. XXX. Caſum factum, non fictum refert Gobat Tract. IX. Caſ. VII. n. 164.

LXXIX.

Vitricus valide ducit in matrimonium eam, quæ ſui privigni iam defuncti uxor erat: & noverca eum, qui privignæ defunctæ maritus fuit.

LXXX.

Impedimentum criminis etiam is incurrit, qui tempore, quo crimen commiſit, ignoravit, annexum eidem eſſe iure Eccleſiaſtico tale impedimentum, dirimens matrimonium.

LXXXI.

Ex eo, quod ſciens ius alienum liberetur ab obligatione ſervitutis ruſticæ, inferri non poteſt,



teſt, quod ſcientia iuris alieni non obſtet præſcriptioni. Unde debitum indefinite contractum triginta annorum lapſu extingui cum ſcientia iuris alieni, nequaquam arbitramur.

LXXXII.


Qui obligatus ſolvere annuum cenſum, vel præſtationem in certo genere monetæ aut frugum, ultra longiſſimum tempus in alio, & quidem minoris valoris genere ſolvit, is præſcribet primæ obligationi ſolvendi, & quidem unico actu tam pro præterito tempore, quam futuro.

LXXXIII.

Actioni pignoratitiæ directæ quovis longiſſimo tempore non præſcribit creditor pignus poſſidens; ac proin debitor oblato & exſoluto, vel rite depoſito debito, iure optimo repetit pignus, non obſtante curſu temporis longiſſimi.

LXXXIV.

Beneficiati obligantur ex iuſtitia bona beneficialia ſuperflua erogare in cauſas pias, ita, ut totum id, quod in uſus profanos ex iisdem profuderunt, cauſis piis compenſare, & reſtituere teneantur.



LXXXV.

Successor particularis non tenetur solvere decimas præteritas ab antecessore non solutas.

LXXXVI.

Promittere vel dare, exigere vel accipere aliquid temporale pro ingressu ordinis religiosi, est simonia iuris divini & naturalis.

LXXXVII.

Omnis pactio simoniaca iure naturæ irrita est, & nulla; unde prono alveo fluunt regulæ de restitutione eius, quod simoniace acceptum est.

LXXXVIII.

Usura mere lucratoria iure naturali & divino est prohibita; nec ulla universali Germaniæ lege permittitur. A contractu autem mutui differt contractus censualis etiam redimibilis ex utraque parte.

LXXXIX.

Usuram continet pactum Antichreseos, & lex commissoria pignori adiecta, quod valore debitum superat.



XC.

Iurisconſultus Iulianus L. 29. Digeſtorum memorabilem de teſtamentis caſum ac deciſionem refert, exhibitam l. ſi ita. 13. D. de liberis & poſthumis hæredibus: „*Si filius mihi* „*natus fuerit, ex beſſe hæres eſto: ex reliqua par-* „*te uxor mea hæres eſto; ſi vero filia mihi nata* „*fuerit, ex triente hæres eſto: ex reliqua parte* „*uxor hæres eſto;* & filius & filia nati eſſent: „dicendum, aſſem diſtribuendum eſſe in ſe„ptem partes, ut ex his filius quatuor, uxor „duas, filia unam partem habeat: ita enim „ſecundum voluntatem teſtantis, filius altero „tanto amplius habebit, quam uxor; item „uxor altero tanto amplius, quam filia. Li„cet enim ſubtili iuris regulæ conveniebat, „ruptum fieri teſtamentum; attamen cum ex „utroque nato teſtator voluerit uxorem ali„quid habere; ideo ad huiusmodi ſententiam, „humanitate ſuggerente decurſum eſt." Secundum hanc deciſionem in dividenda hæreditate ſervata eſt proportio a teſtatore aſſignata, quam invenire pro omni caſu non ita expeditum eſt, ac in eo, quem Iulianus attulit. Quid enim? ſi ita ſcriptum ſit: *Si filius mihi natus fuerit, huic obveniant quinque, matri quatuor partes; ſi nata filia: huic dentur ſeptem, matri novem partes:* ſi naſcantur ambo, quantum

tum debebitur utrique ſecundum priorem decidendi regulam? generalem ſolutionem felix algebra ſubminiſtrat. Sit tota hæreditas a. portio filii ad portionem matris $= m : n$; portio matris ad portionem filiæ $= o : p$; dicanturque portiones filii, matris, filiæ x, y, z; eritque $y = \frac{ano}{mo + no + np}$. $x = \frac{amo}{mo + no + np}$. $z = \frac{anp}{mo + no + np}$.

O. A. M. D. G.



Pag.	lin.	Errata.	Corrige.
10	2	ſervi	ſervis
20	33	rationibus	actionibus
21	35	cenſuum	ſenſuum
100	14	eaque ſint, æqualia	eaque æqualia
141	ult.	(1)	(2)
142	28	non eſt Deus	non eſt Deus (9)
172	22	(3)	(2)
189	34	—	*adde* (5) l. eum, qui. 18. princ. D. de Iniuriis dicta. (2)
235	23	dicta	dicta. (2)
254	15	(5)	(6)
262	28 & 29	dominorum	dominiorum
2[illegible]	32	iuris. (3)	*deleatur* (3)
	37	(3)	(4)
288	27	(1)	(2)
289	25	(5)	(3)
329	14	—	*adde* (2)
412	27	ac Puſendorſius	*adde*: (3)
443	5	(1)	(2)
464	39	—	*adde*: (9)
470	18	—	*deleatur* (8)
476	20	(1)	(2)
479	ult.	—	*deleatur nota* (4)
488	11	ac ſecus	an ſecus
513	12	proſequentes	perſequentes
549	15	Pahleg	Phaleg
569	ult.	motas	motus
576	7	(1)	(2)
620	19	municatione	communicatione
671	25	—	*addatur* (10)
675	20	—	*adde*: (12)
677	20	ſcripſit	ſcripſi
701	ult.	confirmarent	confirmaret
734	28	dinem	ordinem
749	18	da opera	ea opera
753	14	flnitur	finitur
813	2	ſuccendendi	ſuccedendi
817	26	—	*adde*: (14) Ibid. loc. cit.
831	20	diurna	diuturna









